

giunt sunt euecti, ruinam ducentes, allisi ad terram, contritiq. **A**  
 miserimum sui spectaculum posteris exhibuerunt, neque ita  
 lata, vt sinceri virtutum Cultores, imperia, neque ita diu-  
 turna possidentes. Atque hæc quantum ad ipsos.  
 Nunc inspicimus, quantum ad ipsorum poste-  
 ros, gentes, terrasque subiectas, & glo-  
 riam, famamue; quæ solet  
 obitum sequi.

*Libri Primi Finis.*



IMPE

**IMPERIA PENDERE  
 A VERIS VIRTUTIBVS,  
 NON A SIMVLATIS**

*L. I. B. II.*

**AD VERSVS MACCHIAVELLVM.**



**C** *Reges Virtutis simulata cultores perpetua post obitum sunt  
 infamia notati. Cap. I.*



**D**

I quis mortalium laudem popularem  
 captat, & gloriæ desiderio rapitur in-  
 flammatus, nihil est, quod magis de-  
 beat auersari, & odisse quam figmēta,  
 nihil quod magis amare atque ample-  
 cti, quam veritatem. Nam recte Aschi-  
 nes contra Timarchum *οὐτως ἰσχυρὸν  
 ἐστὶν ἀληθεία, ὥς ἐπὶ πάντων ἐπικρατεῖν τῶν  
 ἀνθρωπίνων λογισμῶν*. adeo potens est ve-  
 ritas, vt omnes superet humanas cogi-  
 rationes. Quamobrem videmus ad extremum nihil non oc-  
 cultum detegi, ac tum, cui nam vera laus debeat, aperiri.  
 Et quis quæso non execratur Annibalis perfidiam? quis non Pu-  
 nicam fidem? quis Assyriacos illos Reges, ac Persicos, quicum-  
 que deliciis effaminati videri tamen Regijs meritis, ac virtuti-  
 bus insignes aut volebant, aut contendebant? Videre Græci,  
 quanti



quanti esset laus ad officia virtutum præstanda, atque idcirco in conuiuiis maiorum præclara facta canere, & celebrare solebant, præcipue vero Spartani, qui solidam bonitatem præcunctis assequi conabantur, quod in vita Lycurgi Plutarchus refert. Vbi Rex aliquis Egyptiorum moriebatur, sacerdotes ac populus vel eum pro meritis celebrabat, vel eius malefacta vituperationibus debitis prosequabatur, quod erat in causa, vt in officio cuncti permanerent. id narrat Diodorus antiquarum rerum lib. 1. cap. 3. Quocirca cum Cheopes, ac Chephrenes Tyrannice per centum sex annos regnassent, populus effusa eorum cadauera, ac cineres dissipauit, dignosque, qui neque

—aut Euristhea durum,

Aut illaudati nescit Busyridis aras?

Sardanapalum nemo ignorat infamia perpetua notatum, ita vt quicumque sit effaminatus, ac delicijs deditus, Sardanalienomen gerat. Verum quando extera non sunt scriptores nostros nata, qui fusius à Regibus alijs gesta recenseant, idcirco præstabit afferre, quot modis ac quibus Imperatores Romani fuerint ad ignominiam sempiternam lacerati. nam quales in Cæsarem versus à militibus, & populo publicè canebantur? pucitat Suetonius. cap. 49. & 51. eodem modo, quæ in Octauium iure pronuntiabantur habet idem cap. 68. Illud ascripisse, quo impietas eius habitu Deorum, Dearumque cum suis conuiuiis discumbentis, notatur, non pigebit.

Cum primum istorum conduxit mensa choragum  
Sexque Deos vidit Mallia, sexque Deas.

Impia dum Phœbi Cæsar conuiuia ludit,

Dum nona Diuorum cænat adulteria.

Omnia se à seruis tunc numina declinarunt,  
Fugit & auratos Iuppiter ipse thronos.

Quid hic de Tiberio differamus, de quo sic idem scriptor cap. 75. morte eius ita latatus est populus, vt ad primum nuncium discurrerent, pars terram matrè, Deosque manes orarent, ne mortuo sedem vllam nisi inter impios darent, alij vnum, & Gemonias cadaueri minitarentur. In obitu Caij, quidā

sen-

A sententiæ loco abolendam Cæsarium memoriam, ac diruenda templa censuerunt. Notiora sunt, quæ de Nerone probra, ac dedecora memoriæ prodita fuerint, quàm vt sit necesse ea referre. quin pudori conuenit omnino ea præterire. Denique vsque ad Constantinum cum plurimos supra Imperatores memorauerimus, paucissimi fuere, qui laudem bonorū ferant à scriptoribus, qui non multis nominibus proborum notentur, eorumque dedecus posteris aperiatur. sic enim Vopiscus. Vides quæso, quàm pauci sint principes boni, vt bene dictū sit à quodā mimico scurra Claudij huius temporibus, in vno annulo bonos

B principes posse perscribi, atque depingi.

At contra quæ series malorum? vt enim omittamus Vitellios, Caligulas, & Neronas, quis ferat Maximinos, & Philippos, & illam inconditæ multitudinis fœcem? Hæc ille. Iulianus ipse Imperator, quamuis faueat, quantum potest, omnibus, qui à nobis alieni fuerunt, nihilominus quoddam Deorum concilium, cōuiuiumque fingit in superis locis, ad quod aduocentur omnes, qui ante ipsum Romani imperij gubernacula tractarūt, & omnes ingeniosè, maledicè tamen mordet, ac proscindit. ita vt neminem relinquat illæsum, neque sit cuius fama non carpatur, ac dilanietur. sic igitur post obitum cunctos ignominia est secuta. Et tamen illis nulla maior cura fuit, quàm vt apud omnes in omnium maximo honore essent; idcirco in Deos referri, templa sibi erigi, sacrificia, sacerdotesque institui vel iussere, vel quoquo modo procurarunt. Hinc Diui appellabantur. Verum conatu irrito, ac ridiculo omnia. Vbi namque nunc illa? datū fuit aliquid auribus, & oculis viuientium. Magna, inquit Cicero, pro Celio, vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatē, solertiam facile se per se ipsa defendat. Post interitum cuncti irrisi, contumeliis plerique omnes onerati, & magno cum dedecore ipsorum memoria posteris est relicta.

D En tibi Galba Neronis successor. occisus est à suis. caput amputatum, præfixumque hasta cum ludibrio circum castra est delatum, clamantibus militibus, Galba cupide fruaris ætate tua.

Quid autem Vitellio contigit. Audi Tranquillum cap. 17. re ligatis post terga manibus iniecto ceruicibus laqueo, veste discissa seminudus in forum tractus est, inter magna rerum, verborumque ludibria per torum viæ sacra spatium reducta coma à capite, ceu noxij solent, atque etiam mento mucrone gladij subie-

L

cto,



sto, vt visendam præberet faciem, neue submitteret, quibusdam A  
stercore, & cæno incessentibus, alijs incendiarium, & patina-  
rium vociferantibus, parte vulgi etiã corporis vitia expro-  
brante tandem apud Gemonias minutissimis ictibus excarni-  
ficatus, atque confectus est, & inde vnco tractus in Tyberim.

Defuere hæc Domitiano, sed tamen eius obitu Senatus adeo  
lætatus est, vt repleta certatim curia nõ temperaret, quin mor-  
tuum contumeliosissimo, atque acerbissimo acclamationum  
genere laceraret: scalas etiã inferri, clypeosque, & imagines  
eius coram detrahi, & ibidem solo affigi iuberet. nouissimè era-  
dendos vbique titulos, abolendamque omnem memoriam de-  
cerneret. B

Ne verò idem propè fieret in Adrianum prohibuit Antoni-  
nus ob id Pius dictus. alioquin Senatus, inquit Lampridius, a cæ-  
eius irrita fieri volebat, & in mortuum à multis multa sunt  
dicta.

Quàm multa autem fuerint à Senatu, populoq. aduersus Cō-  
modum decreta, qui volet cognoscere, legat eundem scriptorẽ,  
qui multis illa commemorat. nam corpus eius, vt è sepulchro  
erueretur, vncoq. tractum proijceretur in Tyberim, cuncta il-  
lius monumenta delerentur celsit populus, ac Senatus singula C  
ipsius scelera recensens, & ad singula acclamans, vnco trahatur.

In Caracallam multa similiter à Senatu dicta, atque in eius  
odium Caracalla dictus est, ac Tarantis, ait Dion, quod no-  
men erat gladiatoris deformissimi, perexiguique, ac nefarij ho-  
minis.

Ventum est ad Heliogabalum, de quo ita Lampridius, in eũ  
impetus factus est, atque in latrina, ad quam confugerat, occi-  
sus: tractus deinde per publicum, additaq. iniuria cadaveri est,  
vt in cloaculam milites mitterent. sed cum non cœpisset cloa-  
ca fortuito, per pontem Æmilium annexo pòdere, ne fluitaret, D  
in Tyberim abiectum est, ne vnquam sepeliri posset. Tractum  
est cadaver eius etiã per circi spatia, priusquam in Tyberim  
proijceretur. nomen eius, idest Antonini erasum est Senatu iu-  
bente, remansitq. Varij Heliogabali: siquidem illud affectato  
retinuerat, cū veller videri filius Antonini. Appellatus est post  
mortem Tyberinus, & tractitius, & impurus, & multa, siquando  
ea erant designanda, quæ sub eo facta videbantur; solusq. om-  
nium principum tractus est, & in cloacam missus, & in Tyberim  
præcipitatus.

Quid

A Quid autem de Maximino dicemus, qui, scribit Capitoli-  
nus, tam crudelis fuit, vt illum alij Cyclopem, alij Bufridem, alij  
Scironem, nonnulli Phalarim, multi Typhonem, vel Gygem vo-  
carent. & mox. Maximini nomen erasum, nunc animis eradenda  
dum. hostis publici caput in profluentem abijciatur, corpus  
eius nemo sepeliat.

Omittimus hic Valeriani, Gallieni, Aurelianiq. & Carini  
dedecora. nam quæ de Maxentio dicta sunt probra, ac vulgo  
semper iactata, scriptores, in queis Zozimus, apertè testantur.  
illud nobis erit satis adduxisse, quod in foro adhuc Romano  
B post annos mille ducentos octuaginta, ac plures inscriptum  
cunctis apparet.

R E S R I T V T O R I V R B I S R O M Æ,  
ATQ. E X T I N C T O R I P E S T I F E R Æ  
T Y R A N N I D I S.

D. N. F. L. I V L. C O N S T A N T I N O  
V I C T O R I, A C T R I V M P H A T O R I  
S E M P E R A V G V S T O.

C Hæc igitur encomia sequuntur improbos, hæc monumenta  
post mortem.

Nunc oculos mentis aduerte ad eos, qui non inane virtutis  
simulacrum, sed ex animo ipsam rem sunt amplexati, qua glo-  
ria post obitum nunc illi potiantur, quibus illustrentur honori-  
bus. ac ne temere aliquid videamur effutire. Scimus ab Impe-  
ratoribus istis plurimos Christianos variis tormentis excru-  
ciatos, ac denique crudeliter interfectos. Numquid verò cum  
summis viribus contenderent, vt omnis ijs honor auferretur,  
D sibi omnis daretur, quidquam maximi Imperatores aduersus  
homunculos tenuissimos profecerunt? simulatq. illis eripuerunt  
vitã, decreti cælestes ijs veluti superis honores ab Ecclesia Ca-  
tholica tota Orbe cognito dispersa, dati per annos mille, ac tre-  
centos, pluresuè, aut pauciores, prout siue antea, siue postea  
sunt interempti, dati celebritatibus anniuersariis à quibuss-  
bet nationibus (quando ad Ecclesiam Catholicam cunctæ na-  
tiones concesserunt) in quavis Orbis peruij regione, dati in mo-  
dum supplicem, & humillimum, ita vt innumeri, ac potentissi-  
mi Reges, Imperatores, ac Pontifices acciderint ad eorum ci-  
neres,



neres, ad eorum memoriam, vultu ad terram demisso adoraue-  
runt, supplices manus tetenderint. duratq. adhuc tanta existi-  
matio, tantum decus. verè scilicet à Venusino dictum.

*Virtus repulsa nescia sordida  
Intaminatis fulget honoribus;  
Nec ponit, aut sumit secures  
Arbitrio popularis aura.*

*Virtus recludens immeritis mori  
Calum negata tentat iter via,  
Cæusq. vulgares, & vdam  
Spernit humum fugiente penna.*

Vt autem magis admiremur diuinam prouidentiam, quicū-  
que Imperatores, ac Reges magis fuere aut sanctiores, aut ca-  
tholicæ veritatis magis studiosi, eorum nomina ad successores  
magis transferunt, ac licet aliqui nomen adsumptum dedeco-  
rarint, multi tamen, & maximè, qui pios imitati sunt, regna au-  
ta auxerunt; quasi Deus voluerit sanctioris, ac religiosioris no-  
mini maiores reservari honores in omnibus rebus. exempli  
gratia Constantinus Orientale imperium fundavit, & omnium  
maximè auxit Catholicam pietatem, ac Pontificiam sedem.

Huius nominis plures in Oriente numerantur Imperatores,  
quam cuiusvis alterius. nonnulli recensent quindecim. Post hos  
sequuntur, qui Michaëlis, demum qui Leonis nomen sumpserunt,  
quorum primus Leo Magnus est appellatus.

In Occidente autem, si Gallica regna spectemus, Ludouici  
plures fuerunt: quorum primus Clodoveus, qui Francis omniū  
primus Rex Christiana sacra dedit, cui nomen idem, quod Lu-  
douici esse volunt, Huius nominis duodecim numerantur, in his  
Ludovicus Sanctus. Post hos erunt, quibus Caroli nomen fuit,  
& quibus novem. primus Carolus Magnus.

In regno Germanico Henrici septem fuere, neq; alterius no-  
minis totidem. in his Henricus Imperator primus, Rex autem  
Germaniæ secundus sanctis adscriptus. Hos sequuntur Caroli  
quinque.

In Anglico numerant Edoardos novem, primus est filius El-  
fredi, qui Romā profectus ab Hadriano Secundo est coronatus,  
secundus est martyr, ac sanctus, tertius item sanctus, qui priui-  
legium sanandi strumas ad posteros transmisit; inde quartus  
Henri-

A Henrici tertij filius, quem vocant alij primum. Post Edoardos  
sunt Henrici octo, ex his laudatissimus quintus, de quo sic Po-  
lydorus Virgilius, fuit vnicum id temporis decus, & lumen pa-  
triæ, quo nemo vir animi celsitate, & magnitudine, ac virtute  
clarior natus, nemo pietate præstantior, cuius desiderium etiā  
nunc apud mortales pariter permanet, atque à principio apud  
suos fuit. nam vbi per vulgus fama mortis eius peruasit, cuncti  
generatim subito dolore cōciderunt, quibus ita moeror omnes  
ferè mentis partes ademit, vt more insanientium passim fortu-  
nam incusarent, quæ tantam gloriam patriæ inuidisset, nimirū

B Regis immatura mors quantū potiundi Francorum regni An-  
glis ademit, tantum recuperandæ libertatis ipsis Francis fecit.  
Hec ille de Rege Henrico quinto, qui Parisiis occupatis, ac ma-  
gna Franciæ parte, eius Regens est appellatus. Post quintum  
septimus præcipuè laudatur à Polydoro his verbis, ingenio ma-  
gno, sagaciq. & à litteris non alieno, animo excellenti, atque  
forti, in summis quoque periculis, & naturæ ipsius habitu pro-  
pè diuino. res consulto, grauiterq. gerebat, quò suæ prudentiæ  
opinio per hominum animos facilius peruaderet: quippe non  
ignorabat suam vitam multorum oculis obseruari, atque ob id

C principem oportere tantum alijs sapientia antecedere, quan-  
tum potentia præstet. etenim quis illi quidquā tribuerit, cuius  
leuitatem expertus est? erat præterea moderatus, honestus, fru-  
gi, comis, & benignus, & adeo superbiæ, atque arrogantiae ab-  
horrens, vt in huiusmodi vitiis notatos durus, atque asper esset.  
& mox. ita viuendo Henricus Rex virtute, fortuna, gloria, re-  
busq. gestis clarissimus extremum edidit spiritum, qui dubita-  
ri non potest, quin reuersus sit in cælum ad eum locum, vbi æuo  
sempiterno fruatur: quandoquidem impiger fuit religionis iu-  
xta obseruator, ac cultor libenter enim rebus diuinis operā da-  
bat, intereratq. dum fiebant, neque villo negotio, aut tempore  
ab eo officio excludebatur, attentè audiebat quotidie binas,  
ternasue missas, quas vocamus, & sæpe conciones sacras, assi-  
duè inopibus hominibus elemosynas dabat. & sacerdotio ho-  
norem habebat, illud pie colebat, libens iuuabat, largè auge-  
bat. Hæc ille.

In Bohemico quinque Venceslai fuerunt, ex his duo sancti.  
In Hungarico quinque item Stephani, è quibus primus cæli-  
tibus ascriptus.

In Polonico quatuor Cazimiri fuere, primus sanctus, tertius  
co-



cognomentum Magni ob res gestas tulit. A

In Suetico sex Erici, inter quos quartus Induardi filius in su-  
peros relatus.

In Danico Erici septem, quorum primus Christianā religio-  
nem Daniæ dedit, Canuti quinque, inter eos quartus calitibus  
annumeratus, ac martyr.

In Lusitanico quinque Alfonsi fuerunt, ac primus Regium no-  
men posteris acquisiuit, ac sedi Apostolicæ tributarium regnum  
fecit.

In Aragonensi quinque Alfonsi, ac Ferdinandi fuerunt.

In Castellano Alfonsi undecim fuerunt, primus ob pietatem B  
Catholicus est vocatus; secundus ob admirabilem pudicitiam  
castus. Inde Ferdinandi quinque, tertius, ait Vasæus, sanctus ha-  
beretur, ac multis miraculis clarus, quintus innumera regna si-  
mul coniunxit.

Ex his liquet, quam sit diuini consilij, vt nomina Regum bo-  
norū sint clara, & illustria præ cunctis. In singulis enim regnis,  
vt ostendimus, qui sanctitate, ac pietate Reges magis excellue-  
runt, eorum nomina sunt magis repetita in successoribus. Quo-  
circa inter prophanos etiam videas idem plerumque contigif-  
se, vt qui minus abfuere à iustitiæ norma, eorum nomine poste-  
teri sapius fuerint decorati. illudque fuerit clarius, ac magis C  
vsurpatum nomen à posteris, quod gesserunt maiores ad boni-  
tatis præscriptum magis accedentes. Verbi gratia, inter Per-  
sas Artaxerxes longimanus propius abfuit, à bonitate, atque  
huius nominis tres fuere, hic, Memnon, & Ochus. Inter Seleu-  
cidas Antiochus Sother, habuit eiusdem nominis septem suc-  
cessores, Deum, Magnum, Epiphanem, Sedetem, Gryphum, Cy-  
zicenum, Eusebium, quasi iustior inter omnes. Post hunc est Se-  
leucus Nicator cui quinque fuere eiusdem nominis Reges, Cal-  
linicus, Ceraunus, Philopater, Demetrii Soteris filius, & postre-  
mus Gryphus. D

Sic inter alios Reges idem plerumque accidisse, quod dixi-  
mus, inspicimus, quasi impellente Deo cuncti in id coirent in-  
scientes, vt is notior ac nobilior redderetur, qui ex ordine ali-  
quo magis innocens fuisset.

Quod adeo verò verum comprobatur, vt qui iustitia maxi-  
mè fuerint insignes cunctis successoribus nomen iidem suum  
communicarint, veluti, Ptolomæus primus; ac secundus Lagi  
nepos omnibus posteris Ægypti Regibus, quod fuisse omnium  
iustif-

A iustissimi, memorentur, id testatur Diodorus, lib. 17. & 18. An-  
toninorum cognomē, quod Pius, ac Philosophus innocentissi-  
me, ac laudabiliter in primis olim vixissent, certatim successo-  
res arripiebant, ita vt acceptus ille esset qui nomen Antonini  
gereret, quod Lampridius in Diadumeno refert. Quocirca  
cum Commodus Hercules assumpsisset, talia in ipsum carmina  
sunt scripta:

*Commodus Herculeum nomen habere rupit.*

*Antoninorum non putat esse bonum;*

B *Expers humani iuris, & imperij,*

*Sperans quinetiam clarius esse Deum,*

*Quam si sit princeps nominis egregij*

*Non erit iste Deus, non erit idem & homo.*

Sed Antoninorum cognomen fuit, non autem nomen. Quam-  
uis hoc etiam pertineat ad laudem, quam reuera inter superio-  
res Imperatores merebantur Pius, ac Philosophus Antonini.

Quocirca neque Deus absque aliquo præmio in terris, voluit  
esse admirabilem Cæsaris clementiam, cui nemo par videtur  
C fuisse inter omnes Romanæ Urbis Principes viros, quamuis ne-  
cessitate compulsus ad continendos in amore milites interdū  
aliena rapi siuerit, vbi poterat aliqua adesse causa, qua permit-  
ti id iure gentium quoquomodo posset. Quod excusationem  
nullam in ipso habet, est illud, quod libidini, ac lasciuia deditus  
fuit, in qua tamen nemini vim scribitur intulisse. Sed tamen  
fuit clementissimus in aduersarios omnium, qui Principem lo-  
cum memorentur in rebus publicis illustrioribus tenuisse, ac  
tor, tantaque bella gessisse. hæc autem virtus humano generi  
maximè prodest, amicorum vero idem fuit amantissimus. Ar-

D que ob id mirum nemini debet videri, si Deus dederit cognomi-  
ni ipsius aliquid splendidius ad claritatem. fuit ille quidem ma-  
ximè ambitiosus, sed multo ambitiosiores inimici ipsius qui  
parem sibi eum pati non poterant. & aperte multis in locis Ci-  
cero testatur, Pompeij sectatores multo atrociora fuisse admis-  
suros, si vicissent. Atque hæc quidem, quantum pertinet ad Cæ-  
saris cognomen. Augusti porro non hominis, sed honorificen-  
tiæ maioris cognomentum fuit. idem namque augustus, quod  
Græcis *σεβαστος*, idest reuerentia sacra dignus. hinc Ouidius  
Pastorum 1.



*Sacra vocant Augusta Patres, Augusta vocantur;  
Templa sacerdotum ritè dicata manu:*

*Huius & augurium dependet origine Verbi  
Et quodcumque sua Iuppiter auget ope.*

Erit itaque Augustus idem prope, quod Reuerendissimus. Verùm quomolibet hæc sint, nullus potuit Imperator efficere, quamuis omnia conaretur; & omnia prope humana interris posset, vt diuini honores ipsi darentur per tot sæcula, per tot Orbis regiones, quot ac quantos videmus dari, ac datos plurimis homunculis, dum viueret, abiectissimis, & qui nullius pretij existimarentur à potentissimis illis Reip. Romanæ proceribus. En tibi ante oculos Petrus, en tibi ante oculos Paulus, alijque, de quibus hic dicit, facti sumus omnium peripsema vsque adhuc, existimati sumus tamquam oues occisionis. An tibi videntur hi nunc despecti? Hæc scilicet vis veritatis, vt obruta emergat quouis Sole splendidior, illuminans oculos humanarum mentium, noctemque ab illis opinionum falsarum discutiens, meridiemq. sui fulgoris adducat.

*Virtutis simulata cultoribus inania fuerunt gloria monumenta; contra bonis. Cap. I I.*



Peræpretium porro est, maximosque fructus habet iucunditatis intueri, quàm miranda Reges antiqui, & Imperatores extulerint ædificia, quàm vastas moles ad sui nominis gloriâ latè amplificandam, posteritatiq. commendandam. Nunc tantarum Rerum vel nulla vestigia, vel ignobilia, ac deformia sine vlla concupitæ laudis affecutione. Vbi horti nunc pensiles, muri excelsi, templumque Beli in Babylone? vbi templum Dianæ Ephesiæ, Vbi Ægyptiaca Thæbarum, Pyramidumve miracula? quarum quamuis aliquæ extent, Reges, qui condiderunt, ignorantur. Ne longe abeamus. vbi Amphitheatra, Circi, Thermæ, ac tot, à Romanis Imperatoribus ad sydera excitatæ moles? Aut ignorantur auctores earû, aut à paucissimis sciuntur; pleræque dissectæ, aut etiam solo æquata. Traianum vocare solebat Constantinus herbam parietariam, quod innumeri occurrerent quibusli-

**A** buslibet parietes, in quibus eius nomen erat inscriptum. Nunc quot illud in locis inuenies? Rursus vt omittamus tēpla à Constantino post annos mille, ac penètercentum constructa, quæ retinent antiquum magnificentia splendorem, nullus est locus, in quo Martyres illi prisci, aut aliquo sanctimoniam nomine prestantes viri, feminaeue fuerint ignominia notati, qui nunc haud resplendeat afferens ijs honores, & quidem maximos, ac cælestes. Num fuit vllus Imperator, vllus Rex, qui tot, an tanta templa de suo nomine dicta habuerit in Orbe terrarum, quot, & quāta exempli gratia Virgo Maria, Petrus, Paulus, Benedictus, **B** Dominicus, Franciscus, alijq. innumeri id genus, qui dum vixere, nihil minus cogitabant, aut quærebant, quàm si quid est huiusmodi honoris, ac nullo ipsi loco erant apud ambitiosos, ac speciosis dignitatum titulis ornatos? Rectè igitur Plautus.

*Virtute decet Vos victores viuere*

*Non ambitione, neque perfidia. quò minus*

*Eadem histrioni sit lex, quæ summo viro.*

*Virtute ambire oportet, non fautoribus*

*Sat habet fautorum semper, qui rectè facit.*

*Si illis fides est, quibus est ea res in manu.*

*Virtus præmium est optimum*

*Virtus omnibus rebus anteit profectò.*

*Libertas, salus, vita, res, parentes*

*Patria, & Prognati tutantur, seruantur:*

*Virtus omnia in se habet, omnia adsunt bona*

*Quem penes est Virtus.*

**D** Quid hic dicemus illa admiranda, quæ Deus ipse post obitū corporibus, ac reliquiis quibuslibet sanctorum contulit? vt sæpe ex illis splendor extiterit, ipsa incorrupta per plurima annorum curricula permanerint, agilia fuerint, & penetrabilia. tutatus sit ea Deus ab omnibus iniuriis aëris, temporū, bestiarum, mortaliumue quorumuis, dissecta, ac discepta membra in vnum collegerit, ac coniunxerit, viuentium vim sit largitus, vnguenta, liquoresue aduersus omne morborum genus valentes ex ijs emanarint? Collegimus hæc omnia nos, ac latè explicauimus libro xv. de signis Ecclesiæ Dei. non est opus eadem repetere. Et quis ignorat ad reliquias sanctorum, quot edantur

M

quo-



quotidie miracula ad vtilitatem generis humani? sic igitur ve-  
ram virtutem sequitur amplissima post mortem gloria, quam-  
uis contra contendant omnes homines. In quanto adhuc hono-  
re habentur loca sacra Palestinæ? elapsi sunt mille quingenti  
sexaginta anni, numquid sepulchrum Christi non est, ut prædi-  
xerat Isaias, gloriosum? Christi illius, inquam, sepulchrū, qui  
natus est humili loco, tota ætate vixit humiliter, exiguo vitæ  
spatio versatus inter homines, virgis ad ignominiam cæsus, ab  
omnibus desertus, cruci veluti flagitiosus affixus, saxo excava-  
to inclusus, obsecratus, ingloria, & contumeliosa cuncta est per-  
pessus. En quanta vis est veritatis, quanta solidæ, ac diuinæ vir-  
tutis. Et tamen ea loca plerumque in potestate fuerunt hostili  
in ditione illorum, qui nostra derident, exagitant, proculcant,  
& quantum possunt ipsi delent. Quis ea tutatus est? quis hono-  
res illis debitos conseruauit? Proferantur similia quæso ab ho-  
stibus veritatis. Aliquid poterunt. sed tot, ac tanta quomodo?  
Hæc scilicet germanæ virtutis præmia vel in terris reseruata.

*Regibus simulatæ Virtutis liberorum Regum brevis  
posteritas fuit. Cap. III.*



**N**EXE verò quisquam putet Regibus istis,  
qui inanes vmbas virtutum captarunt, fuisse  
liberorum regnantium longam successio-  
nem. Brevis propè omnibus fuit, & quo quis-  
que minus, magisue est veritatem sectatus,  
eò minus, ac magis diuturna posteritate do-  
minantium suorum plerumque est donatus.

Ridendum nos alibi ostēdimus apertè, quod aliqui falso, & ine-  
te prodiderunt, Assyriorum regnum tandiu perdurasse tradi-  
tum per manus liberis suis à suis parentibus in eadem cogna-  
tione. Vix est, ut antiquorum Regum, si demas familiam Dau-  
dicam, gens vlla regnarit supra annos tercentum. soli Heracli-  
dæ, nisi fabulosa credamus quæcumque de illis fabulosa vetustas  
prodidit, hoc annorū spatium superauit: Heraclidæ illi ab Her-  
cule prognati, qui minus aberrauit à vera virtute, qui tot lau-  
dibus effertur in cælum, quod tot monstra domuerit, tot ferita-  
tes, ac tantas ex humanis cætibus depulerit, ac viam sibi fece-  
rit ad genuinum quoddam decus, hoc regnandi spatium supe-  
rasse

**A**rasse memoratur, sed exiguo tamen regno potiti, quamuis ma-  
gno, ut illa tempora ferebant, inter Lydos.

Placet Herodoto in Clio dominatos Lydis Heraclidas annis  
quingentis, ac quinque. Post eos Gygis progenies vsq; ad Cræ-  
sum, quem Cyrus deuicit, annis centum sexaginta imperauit.  
genus Nabuchodonosori à Merodacho deductum regnavit Ba-  
bylone annis centum plus minus. Inter Medos Diocis nepotes  
imperium vix annos centum quinquaginta tenuerunt. Agna-  
tio Cyri inter Persas neque annos quadraginta, Darij Hista-  
spis circiter annos centum nonaginta; quod si scemineū genus  
**B** Diocis per Atossam Cyri neptim peruenit ad Darium, dabun-  
tur istis anni tercentum octuaginta sex plus minus. Seleucidæ  
in Asia non sunt dominati supra annos ducentos septuaginta.  
Ptolomæi in Ægypto ducentis viginti septem. Omnis Partho-  
rum posteritas circiter annos ducetos imperauit, Persicorum,  
qui Parthos expulere, ducentis viginti quatuor. Inter Maho-  
metanos non fuit vlla profapia, quæ memorabile aliquod re-  
gnum tenuerit supra annos tercentum, quæ nos omnia latè ex-  
plicauimus lib. 23. de signis Ecclesiæ Dei.

Illud verò admirabilius, quod obseruauit Aristoteles Politi-  
corum lib. 5. cap. 12. nullam Tyrannidem durasse supra annos  
centum, quod virtute non innitatur, sed fraude, ac simulatione.  
**C** Audiamus auctorem grauem. Atqui, inquit ille, omnium guber-  
nationum breuissimè durare solent paucorum potentia, & Ty-  
rannis. quippe illa, quæ plurimo durauit tempore Orthagoræ,  
& filiorum, qui apud Sicyonios Tyrannidem habuere ad cente-  
simum vsque annum peruenit. durationis verò causa fuit, quod  
mediocritate quadam erga subditos utebantur, multaq; legi-  
bus seruientes agebant. & quia aptus rei militari fuit Clisthe-  
nes non facile contemnendus habebatur. plurimum verò con-  
suetudine, & vsu familiari fauorem, & gratiam hominum sibi

**D** conciliabant. fertur enim Clisthenes coronasse iudicem, qui vi-  
ctoriæ illius contradixerat. Aiunt quidam huius iudicis statuā  
esse illam, quæ in foro sedet. Pisistratus quoque fertur aliquan-  
do apud consilium Areopagi citatus iudicium subiisse. Secun-  
da verò apud Corinthum Cypselidarum Tyrannis. nam eā du-  
rauit annis tribus & septuaginta, & mensibus sex. Cypselus  
enim ipse Tyrannidem exercuit annis triginta, Periandrus ve-  
rò quadraginta quatuor; Psammeticus autem Gordij annis tri-  
bus. causa verò durationis eadem fuit, cum enim popularis es-  
set



set Cypselus, ac gratia apud multitudinem superaret, sine vlla corporis custodia in dominatione perseueravit. Perianthus autem eius filius magis Tyrannicè se gessit, sed vir erat bello egregius. Tertia Pisistratidarum Athenis, hæc autem non fuit continua. bis enim Tyrannide pulsus fuit Pisistratus. itaque ex annis triginta tribus solum annis septem, & decem Tyrannidè exercuit; filij verò eius annis decem & octo; atque ita omnes simul anni fuerunt quinque & triginta. E reliquis verò illa, quæ apud Syracusas fuit Hieronis, & Gelonis, sed nō longa fuit. hæc namque annis nō amplius, quàm duodeuiginti durauit. Gelon enim cum septem annis Tyrannidem exercuisset, octauo defunctus est; Hieron autem decem; Thrasylbulus verò mense decimo excidit. cæterarum verò Tyrannidem pleræq. breui tempore durauerunt omnes. Hucusque Aristoteles; vt cognoscamus, qui iustitia non procedunt, non longè procedere.

Addit aliam obseruationem Ælianus lib. 6. cap. 13. nullā Tyrannorum Regum posteritatem permansisse vsque ad quartam generationem. quod nos plurimis, ac nobilissimis exemplis ex omni memoria depromptis explicauimus lib. 23. ca. 6. de signis Ecclesiæ Dei: & inter alia à nullo Rege Heretico transmissa regna vltra quartam generationem. Contra verò contemplare Regias Catholicorum Principum familias, quæ ex antiquissimo tempore imperauerunt. atque vt ordiamur ab extremis Europæ locis.

Portugallensium Regum agnatio ab Henrico Comite Bisuntino deducta regnavit annis paulo minus quingentis, longa illi liberorum successio, qui vsque ad ætatem nostram rerum sunt potiri: defecit agnatio Regum, non autem magnorum Principum, quos prisci Reges vocassent. Bragantini enim Duces ex ipsa agnatione Henrici sunt, quamuis nomen Regiū non ostentent. neque verò est extincta cognatio Regum Portugallensium, quoad ipsum etiam nomen Regium. Nam Philippus omnium, qui fuerint vnumquam, Rex amplissimus, è femina Regiæ stirpis Portugallensis est ortus, vt omittamus multos alios è feminis eiusdem gentis prognatos.

Hugonis Capeti gens in Gallia dominatum tenuit supra annos sexcentos.

Egberti agnatio in Anglia conseruauit Regiam dignitatē, & potestatem annis quingentis quadraginta sex.

Donaldi in Scotia perstat iam supra annos 843.

Bori-

A Boriuorij in Bohemia vltra annos quadringentos.

Priusti in Polonia quingentis ac viginti annis imperauit.

Verū enim uero nullius Regis Catholici paulo illustrioris femineum genus interiit, sed persistit adhuc in maximis Regibus, & Principibus, quod nos aperuimus lib. 21. cap. 1. de signis Ecclesiæ Dei. quin omnium Regum Catholicorum familiæ per feminas propagatæ ita inter se coherent, vt vigeant adhuc in omnium potentissimis Regibus initio ducto à Burgundionum Rege Gundicario, qui Christo nomen dedit anno 428. post annos iam mille centum sexaginta quinque, vt tum loco adducto, tum lib. 21. cap. 19. fuit à nobis explicatum. Sed & omnium superiorum prosapiæ multo altiore Regum vetustissimorum originem cient; nos tamen ex eo tempore nominauimus, ex quo Christi religionem sequi cœperunt. Alioquin Regum Danicorum cognatio regnasse memoratur iam inde à temporibus primis Augusti vltra annos mille sexcentos. Quod si Basilus Macedo ab Arface, vt vult Curopalates habet ortum, perpetuataque est stirps eius in nostris, vt alibi aperuimus, sine dubio superat illa gens mille septingentos annos. Fabulosa autem videntur hæc, quæ narratur de gente Basilij, sicut pleraque antiquorum, aut quæ Æthiopici Reges, qui nostri aliquando fuere, Hungarici, & alij nonnulli de suis maioribus ex antiquissimo tempore dominantibus nimium vel magnificè, vel ineptè iactant.

Iam verò inter Imperatores Romanos nemo fuit, qui vltra nepotes agnationis imperium transmiserit. quin nulla cognatio regnavit annis centum, catholicis scilicet semper exceptis, qui ad abnepotes, ac longe vltra transmissere imperium, veluti Carolus Magnus, Rodolphus Habsburgensis in Occidente, Basilus Macedo in Oriente, vt docuimus latè adductis locis.

Sic itaque euidentissimè apparet, quanta sit hac parte veritatis, solidæque virtutis vis, ac fructus, & quàm sine vlllo fundamento, ac stabilitate sint imperia, ac regna, quæ genuina iustitia non innituntur, ac verè à Propheta dictum:

Nisi Dominus ædificauerit domum in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.

Regum



94 *Imperia pendere à veris virtutib.*

*Regum simulata virtutis nepotes mutuis se cædibus ad inter-  
necionem miserrimè absumpserunt cum tota  
familia sua. Cap. I I I I.*



Vnestissimum, si quid excogitari potest, illud merito cunctis videbitur, posteros istorum Regum mutuis se cædibus miserabiliter absumpsisse, aut alioquin in apertissimas cædes communi consilio se se induisse. En tibi Sardanapalus Assyriacorum Regum postremus una cum suis vxoribus, ac si quid, habebat posteritatis in flammis, regumque ardentem se se coniecit.

Sennacheribus à doubus filiis in templo interfectus cum sua familia periit.

Euilmerodachus filius Nabuchodonosori è Niglissaro fororis suæ marito necatus, huius autem filius Labosardachus à Nabonito nepote Nabuchodonosori, qui Balthasar videtur esse diuino scriptori, à Cyri militibus occisus.

Notissimum cunctis est ab Artaxerxe Ocho omnem suorum regiam stirpem sublatam, eius filius Arses cum liberis ab Eunocho Bagoa, superstes Darius à suis cognatis, atque ita finis est impositus Regum Persicorum posteritati.

Philippo secundo Macedonum Regi ac patri Alexandri Magni scimus vitam sublatam dolis Olympiadis Alexandri matris, quæ similiter duo priuignos Casanum coniecit in æneam peluim, flammisque circumdatum dirisimè trucidauit, Arideumque excarnificari à speculatoribus Thracibus mandauit.

Alexandri vxor Roxana cum filio, eiusdemque proles Hercules cum Antine matre Cassandri insidiis occisi, qui Thessalonicam Alexandri ipsius sororem habebat in matrimonio.

Numquid autem felicius fuit Cassandri liberis, è Thessalonica hac Alexandri sorore susceptis, qui Macedonia regnum cum multis aliis locis tenuere?

Antipater Cassandri filius matrem necat, ipse à Socero Lyfimacho una cum fratre Alexandro est interemptus, atque ita Cassandri gens euauit, successitque in Macedonia regno genus Antigoni, è quo Perseus Demetrium fratrem per summum scelus insimulans apud patrem Philippum peruicit, ut necaretur, ipse cum filiis captus, & in triumpho Romam ductus obiit in custodia.

De

A De Seleucidis, Parthis, Ptolomæisque supra est à nobis dictum, quod argumenti esse præsentis potest.

Nullis tamen nationibus feritas maior in exscindenda suorum progenie, quam Mahometanis, quo circa diu numquam potuit ullus Rex inter eos imperium transmittere ad nepotes usque ad Aaronem, qui Carolo imperante vixit, nam mutuis se bellis atterebant agnati omnes, ita ut Habdalla Seffec Aaronis nepos funditus perdere sit conatus omnem stirpem Hali maioris sui perpetua exercens bella aduersus Muhamat fratrem, donec interemptis penè omnibus istis Regibus Turci ad se omnia Orientis regna transfulerunt, quibus postea per nostros in expeditione sacra fractis, Saladinus natione Curdus latè dominari cepit, cuius posteris dissidentibus Mamalucchi in Ægypto amplissimas ditiones tenuerunt, qui non hereditario, sed electionis iure ad principatum vocabantur, ac sublatis fuerunt ab Otthomanis Selymo Rege.

Ut autem redeamus ad Mahometanos cum Tartari Turcos in suam potestatem adduxissent, eisque omnia in Oriente ademissent, & ipsorum Reges fratribus & cognatis inter se præliantibus ad nihilum sunt mutuis cædibus redacti. Nam Pajiangures Tamerlanis soboles fratrem Abdulatriphem tenuit in vinculis, eius filius Troches Pajiangorem fratrem deiecit.

C Postea verò Vslum Cassanus Turca maximum sibi, ac suis in Media, Persiaque imperium parauit, eius autem filius Iacobus ab vxore dato veneno est interemptus. Dissidiis hisce fretus Ismaël Sophus eorum Sobrinus Alamutum sobrinum regno, ac vita spoliavit, matrem quinetiam suam morti dedit, huius progenies Thammas duos fratres Eliam, Samumque sustulit. Thamma verò soboles Ismaël octo fratres occidit, ipse Periaconchona sororis veneno est interfectus, Periaconchona à fratre Cadabanda, qui nunc rerum potitur.

D Nemo autem, credo, ignarus est, ut intestinis sese cædibus Otthomanorum nati trucident, & putamus breui ad interitum non venturos? fieri id nullo modo potest. Deletas cognoscimus plurimas inter Mahometanos Regum familias longè angustiori temporis spatio, quod nos cum superioribus ostendimus libro 23. & Otthomannicæ gentis interitus appropinquabit.

Idem porro Ostrogothorum Visigothorum, ac Vandalorum Regiis prosapiis accidisse, ut se intestinis cædibus absumperint aperuimus signo 53. Ut iam meridiana luce clarius appareat,



pareat, quod asseueramus, contemplemurque dilucidissimè veritatem sibi vndique constare, vniuersum esse ac simplicem, proptereaq. nihil ex illa minui, & iuterire, diminutio namque, & interitus à contrariis contingit, at mendacium, cum semper abeat in diuersa, & contraria, necesse est concidat, atq. euane-  
 scat, è repugnantibus enim conflatur; quæ ruinam necessariò rebus ac sectatoribus adducunt, ac verè Theognis.

Ἀρχὴ ἐπεὶ ψεύδοις μικρὰ χάρις, εἰς δὲ τελευτῶν

Ἀίσκρον δὲ καὶ κέδος, καὶ κακὸν ἀμφοτέρων.

Γίνεται οὖν ἐκ τοῦ καλοῦ ὅτι ψεῦδος προσομαρτῇ

Ἀνδρὶ, καὶ ἐξ ἐλθὼν πρῶτον ἀπὸ σώματος.

*Initio mendacijs exigua gratia. ad extremum verò*

*Turpe lucrum; & malum vtrumque.*

*Neque quidquam boni accidit, cuiusq. mendacium adhæret*

*Homini, cum exierit primum ab ore.*

*Populi simulatam virtutem sectantes deleti; regiones ad vastitatem redactæ. Cap. V.*



**R**O CEDAMVS tamen, & quando vidimus simulatoribus istis, dum viuunt, nihil boni præcipui contingere, post obitum verò notari infamia perpetua, atque inania esse ipsis virtutum monumenta, breuem nepotum posteritatem, quæ se intestinis cædibus dilaniet, contem-  
 plumur, an ipsis populis, qui talium subiiciuntur imperio, eorumq. terris eueniat aliquid boni. Eueniatne

aliquid boni subiectis à Regibus, qui summa vitia virtutis occulere, & operire cõtendunt? qui falsa pro veris, inania pro solidis, damnosa pro vtilibus venditant? An quisquã suspicetur aliquid honesti, iucundi, ac fructuosi elicere, vel extorquere ab illis, qui idcirco mentiuntur, vt rapiant, vt quidquid possunt in suos vsus, in suam rem conuertant? An non vidimus supra, quanta malorum congerie obruerentur Romani, Itali, & cuncti Romano imperio subiecti, cum regnabant isti personati.

Annibal perfidi cognomentum tulit, Alcibiades similitudinem Chamaleontis, qui se in varios colores immutat, ecquid vtilitatis attulerit patriis hi suis? quanta dâna? quâtas clades? Reges

**A** Reges Vandalorum cõtra omnem pactiõnem, fædus omne, omnem fidem, quàm sæpius dedere, sæpius violarunt, Africã Romanis Imperatoribus eripuerunt, ac tenuere supra annos centum. nihil illis ad felicitatem, quod supra asserebamus, deesse videbatur. Numquid Regũ perfidia Vandalis profuit? numquid aliquid diuturnioris boni attulit? sæculũ durarunt. Videmus, quò peruenerit istorum perfidia? quò doli, ac male artes euaserint, exterminati omnes, atq. deleti. pauci ferro superfuerunt abducti in seruitutem.

Miserabilior Ostrogothis fuit ruina, quorum status, ac vita neque sæculi matas potuit pertingere. omnes attriti, ad nihilũ redacti violatæ à Regibus suis fidei pœnas dederunt.

Idem constat de Herulis, qui contra ius omne, ac pactũ Rege Odoacre Italiam cœperunt, & aliquot annis imperio tenuere, vbi nunc quæso stirps est vlla Herulorum? nomen ipsum tot, ac tantarum gentium vix ab aliquibus scitur. multò autem minus Turcilingorum, qui adiuncti Herulis aduersus omnem conventionem, legemq. inuasert Italiam, fædissimoq. dominatu oppresserunt. Cunctæ istæ nationes olim celeberrimæ, ac felicissimæ sunt à Iustiniani ducibus ad interneciõnem deletæ, Itali superfuerunt, ac supersunt tantis cladibus, tantis iniurijs temporũ, vt è Procopio, qui rebus ipsis interfuit, habemus. Hic scilicet est infidelitatis fructus, hic artium malarum, fraudũq. finis. Quot olim nationes in Italiam se se effuderunt nullo iure, summo scelere? Eas nos docuimus libris de antiquo, & nouo Italiæ iure exterminatas, extinctas, nullo superstite mortali ad interitum perductas.

An tibi placet punica Chartaginenfium fides? An non illi omnes ferro, ac flammis absumpti nullos reliquerunt nepotes, qui vel vnã familiam ad sustinendum nomen illustrissimæ gentis tuerentur? An non dolus, ac simulatio extremæ illis ruinæ fuit?

**D** Attila Hunnorum Rex Aquileiam subuertit, tenues illius, sed aliquæ tamen adhuc reliquæ supersunt. illius coloni Roma deducti, quàm nobilem Ciuitatem condiderunt? In oculis sunt Orbis totius Venetiæ, patritij Veneti, quorum nonnulli audent se ex antiquissimis Romanis ortos asserere, sicut etiam multi, qui Romæ cognomina prisca conseruantes à vetustissimis se familiis haberi prognatos omnino contendunt. & sanè ab exteris non videntur orti, cum sciamus solos Longobardos superfuisse ex ijs nationibus, quæ post ætatem Constantini irruerunt

N in Ita-



in Italiam, reliquæ omnes extinctæ, ac deletæ. Neque verò si-  
cut Romani Gallos Cisalpinos ad interitum deduxere, vt ape-  
ruimus, sic Longobardi colonos Roma deductos, & quicumque-  
ijs deinde adiuncti in Urbibus circumpadanis confedere, vt è  
Paulo Diacono, qui genere Longobardus fuit, apparet: nō enim  
gentes priscas isti peremerunt, vt à Romanis eas, quæ fuerunt  
ante ipsos, legimus extinctas. Quid autem dedit internecioni  
Numantiam cum suo populo in Hispania, quid tot Vrbes, quas  
euertisse dicitur Gracchus, nisi fides simulatè data, ac prætextu  
iustitiæ dolosè fracta? Quid tot, ac tantas Vrbes, quas recēsi-  
mus lib. & cap. 1. de antiquo, & nouo Italiæ statu, nisi plerumque  
admissæ contra ius omne fraudes, perpetrata prætextu iustitiæ  
flagitia? Sed quando in obscuro latet, qui nunc mortales origi-  
nem trahant ab antiquis, quiue funditus deleti, vel qui remau-  
serint ex illis, ex alio possumus dignoscere, interitum populorū  
nasci à vitiis simulatæ virtutis velo coopertis. Nos enim signo  
de interitu fidei latè ostendimus; idcirco à nonnullis barbaris  
irruptionem factam in multas, quæ à Catholicis olim posside-  
bantur, regiones, quod illæ plenæ hæresum forent, quas ample-  
xati indigenæ exciderant à veritate vmbram duntaxat inanē  
virtutis aucupantes, in terras porro, quæ ad veritatē propius  
acceserunt, aut ab illa minus abfuerunt, rarius immixtæ barba-  
ricæ, atque efferæ gentes, vt lib. 22. signo 93. de felicitate decēti  
Catholicorum fuit à nobis explicatum.

Neque illud est à iucunditate contemplationis alienum, per-  
spicere quænam regiones olim fuērnt ante omnes alias excul-  
tæ, ac frequentia populorum, ciuitatumq. celebres, & contra,  
quæ nunc magis inter illas sint ad vastitatem, solitudinemque  
adductæ, simulq. expiscari quoto, quantum sciri potest, quæli-  
bet gradu se se alienauerit à meta veritatis; & mirabiliter in-  
ueniemus pro modo mendaciorum, falsitatisq. admissæ factam  
miserabilissimam ruinam ex altissimo priscæ felicitatis fa-  
stigio.

Ægyptus mihi videtur ex omnibus alijs, quæ memorentur  
olim fuisse celebres, ac frequentes, diu primas tenuisse. Nam  
quis ignorat Thæbarum magnificentiam, quibus centum por-  
tæ erant olim, & ad quamlibet portam cum suis turribus ducē-  
ti equites oberrabant, atque ita ad illas erant equitum vigin-  
ti millia custodiæ causa. Quamobrem magnitudo illarum, diui-  
tiarūque locum prouerbio fecerunt apud Homerum Iliados 1. &  
Odyf.

**A** Odyssæ quarto. Retulimus alibi è Diodoro fuisse in Ægypto  
Vrbium decem & octo millia, iam quis excelsissimas, vastissi-  
masq. Pyramides ad iactantiam, stuporemq. intuentium con-  
structas satis aut narrando pro dignitate valeat explicare, aut  
si velimus insanas moles magnificare, admirari? q̄s obeliscos,  
labyrinthos, de quibus Herodotus agit, quis templa diuersa, &  
admirabilia? Quis aëris salubritatem, si Scriptori huic, qui fuit  
in ijs locis, fidem volumus habere, camporum fertilitatem po-  
terit enarrare? Hinc Reges ex illa potentissimi, ac latissimè  
dominantes exorti Zetus, Rhampses, Sesostris, de quibus egimus  
**B** in genealogiis Ægyptiacorum Regum. Nunc videamus quo  
loco sit ista Ægyptus, & quam bene illi cum veritate, ac genui-  
na virtute fuerit.

Pro decem & octo millibus Vrbium, nunc vix decem & octo  
Vrbes numerantur, pro salubri aëre successit pestilens, antiquæ  
fecunditatis non omnino quidem facta est iactura, sed aliqua  
tamen, & quidem magnā, è vetustissimo tempore semper exte-  
ros Reges est perpeffa. Nam post filium Cyri Cambysem Persi-  
cis Regibus, ac præfectis paruit, Inde Græcis Ptolomæis, postea  
Romanis Imperatoribus, mox Arabibus. His Saladini natio-  
**C** ne Curdi posteritas successit, eius imperium Mamaluchi gene-  
re Circassi exceperunt; nunc Turcæ, ac Turcarum Regis manci-  
pia nobilissimam prouinciā tenent, opprimunt, euertūt. Hæc  
nos è Ioanne Leone, qui Ægyptum describit, atque alijs alibi  
fufius aperuimus.

Sed quis quæso tot, ac tantorum casuum, tot, ac tantarū ca-  
lamitatum fons, & origo? huiusmodi prius erat, vt principatum  
teneret inter omnes regiones, veluti inter animalia Leo, sic  
enim Deus apud Ezechielem cap. 31. fili hominis dic Pharao-  
ni Regi Ægypti, & populo eius, cui similis factus est in magnitu-  
**D** dine tua? & cap. sequenti, Leoni gentium assimilatus es, & Dra-  
coni, qui est in mari.

Nunc autem contigit illi, quod idem prædixit euenturū cap.  
29. inter cætera regna erit humillima, & non eleuabitur vltra  
inter nationes, & imminuam eos, ne imperent gentibus. Hæc  
Ezechiel ante annos bis mille, centum, & amplius, quid igitur  
fuit in causa tantæ euersionis, vt quæ regio cunctis olim præsta-  
bat, nunc ab omnibus superetur, quibus fuerit aliquid decoris,  
ac dignitatis? ac nulla omnino sit, quæ fuerit antea tantæ am-  
plitudinis, potentia, ac maiestatis, nunc autem iaceat in tanta



solitudine, vastitate, ac squallore. Atqui nulla videtur fuisse, quæ A  
magis scatuerit mendaciis, magis amplexata sit falsitatem, quam Ægyptus. Ipsa est, quæ multitudinem Deorum tradidit Orbi terrarum, teste Herodoto in Euterpe, ipsa tot fabulas cōfinxit, aut eis confingendis initium dedit. Non immerito itaq; maiores pœnas tulit, vt sciamus insistendum solidæ virtuti non fucatæ, & falsò iactatum, quod ait Ezechiel cap. 9. quomodo dicitis Pharaoni, filius sapientum ego, filius Regum antiquorum. ac temerè à Dionysio scriptum, dum loquitur de Nilo.

*Nunc habitant iuxta sapientum corda virorum,  
Disposuere vias qui vitæ mente potenti.*

Post Ægyptum secundas habet Assyria, siue Mesopotamia, in qua fuere olim Niniue, & Babylon, in quibus imperiū, quod omnium maximum fuerit ab Abrahamo vsque ad Alexandri ætatem consedit. quantæ autem magnificentia, nobilitatis, ac magnitudinis fuerint Vrbes hæ, qui volet cognoscere legat Herodotum lib. 1. Diodorum 2. Scimus è diuinis libris, Niniue, quam Ninum prophani vocant, tantam fuisse, vt in longitudinem pateret iter trium dierum, quod est apud Ionam. Babylon autem magnitudine erat ex omni parte centum viginti stadiorum, circuitu quadringentorum octuaginta, ornatu, vt nihil aliud ei simile reperiretur, inquit Herodotus, erant illi in ambitu portæ centum.

Nunc autem qualis ista Babylon, qualem certè descripsit Isaias futuram cap. 13. & erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut subuertit Dominus Sodomam, & Gomorrhæ. Non habitabitur vsque in finem, & nō fundabitur vsque ad generationem, & generationem: nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi. sed requiescent ibi bestia, & replebuntur domus eorum draconibus: & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi: & respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & sirenes in delubris voluptatis.

Eadem, quæ Babylon, futura Niniue prædixit Nahum. atque ita contigisse scimus è narrationibus Geographorum. Tota porrò regio squallet adeo, vt post Ægyptum nulla sit similiter, quæ floruerit ita, atque ita nunc horreat. propter quam quæso causam? propter multitudinem, inquit Naum, fornicationum meretricis speciosa, & grate, & habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, & familias in maleficijs

A cijs suis. idcirco, ait ille cap. 3. vix ciuitas sanguinum, vniuersa mendacij dilaceratione plena: non recedet à te rapina. Hæc diuinus vates, apertissimè testificans. plenam fuisse Ninū dilaceratione mendacij, atq; idcirco terram vastatam, ac desertā. Addimus etiam sub imperium semper exterarum gentiū missam post Darij, & Cyri ætatem: ex eo namque in potestate fuit Persarum, Græcorum, Parthorum, Persarum rursus, & aliquando Romanorū, deinde Arabum, Turcarum, Tartarorum. Nunc autem mancipiis Turcarum paret.

Refugit hic animus, & horret orationem cōuertere ad Asiā, B Græciam, Græcos artium magistros, liberaliumq; disciplinarū. Hem quanto in squallore Regina gentium, mater omnium doctrinarum iacet, ac sordet? ciuitates euerse, ædificia subruta, deformata omnia, nihil est denique, quod non lugeat, atque intuentibus dolorem simul, horroremq; incutiat. Quid ita? Dici nullo modo potest in causa tantarum cladum, calamitatumq; extitisse amorem veritatis, ac genuinæ virtutis. Artem verò, ac dolos Pelasgos iustius asseri potest causam tot, ac tantis malis attulisse. Extant adhuc litteræ Nicolai Quinti Papæ ad Græcos, in quibus ille prædicit futuram, vt intra triennium supremam ruinam facerent ob eam causam, quod toties in causa religionis fraudem fecissent, neque desisterent dolos nectere, ac verba dare. Citantur maximo cum dolore ab illorum patriarcha Gennadio.

Præter hæc, quæ nos hic attulimus, initio librorum de antiquo, & nouo Italiæ statu palam fecimus, plurimas in Occidente regiones, quod veritatem, solidasq; virtutes sint amplexatæ, ad maximum locorum, ciuitatumq; decus, & maiestatem perductas, cum prius incultæ essent, ac desertæ, eademq; fusius adhuc explicauimus signo 93. lib. 22. cap. 9. & signo 88. de cultu desertorum locorum, & signo 99. de infelicitate hereticarum nationum cap. 1. & 2. ad quæ reijcimus veritatis cupidum lectorem.





Ostenditur imperia magna, veluti Romanum, non alia via ad  
tantum culmen euecta, nisi professione verita-  
tis, ac studio genuinæ virtutis.

Cap. VI.



VIDE igitur boni potest accidere simulatori-  
bus, cum neque ipsis dum viuunt aliquid est li-  
quidæ voluptatis, & puræ, nihil est post obitū  
gloriæ synceræ, posteritas ipsorum brevis, ni-  
hil habens, quod perduret ad felicitatem per-  
tinens; populi ipsis subiecti, atque ipsorum vi-  
tia sequentes illud adipiscuntur duntaxat, vt  
ad internecionem deleantur, regiones denique, quæ ijs parue-  
runt, ad solitudinem, vastitatemq. maximam, si spectemus an-  
tiqua, redigantur, cum longè secus eueniret terris illis, quas ger-  
manæ veritatis studiosi incoluerunt? Tam verò nos alibi osten-  
dimus latiora populis illis imperia fuisse, qui minus abfuerunt  
à verò iustitiæ cultu. Non est opus huc illa transferre, qui volet  
poterit illa cognoscere à nobis explicata, & verissimis testimo-  
niis comprobata. Quocirca rectè concluditur, nullo modo abu-  
tendum paludamento virtutis ad amplificandas ditiones, atq;  
ob id veritatem non repellendam. quin, vt virtutis tramitem  
non relinquamus, ac veritatem ne reiiciamus, potius omnium  
iacturam faciendam, mortem libenter oppetendam. futurum  
namque est, si id fecerimus, vt maiores aut nos, aut nostri faciāt  
quæstus, ac progressus. Atque ita sciemus, simulationi denique  
omne damnum, veritati omne lucrum deberi. & à genuinæ bo-  
nitatis amatoribus tum maximè aliquid acquiri, cum seruan-  
di officij causa videtur amitti. contra autem maxima euenire  
detrimenta, cum quid prætextu virtutis contra ipsam virtutē  
nobis ipsi comparamus. & quādo cunctis obuersatur ante oculos  
Resp. & imperium Romanorum, videamus, quanti fecerint  
illi fidem, quanti virtutem, vt eam prætulerint omni lucro, atq;  
vt eius seruandæ causa nihili fecerint omnia; neque tamen in-  
ficiamur, à Romanis aliquando bellorum quæstus prætextus  
ad imperij fines amplificandos, verum non qui iustitiæ prorsus  
aduersarentur, sed qui omitti possent, & alias omisi essent, nisi  
acquirendi occasio commoda se se obtulisset, non facile tamen  
in multa sæculorum serie depræhendas publico Senatus confi-  
lio

lio decretum in externos bellum, quod omnino fœderibus, ac iu-  
sticiæ repugnet. Contra autem fidei, iurisq. communis serua-  
ti exempla inter Romanos tot, ac tanta elucescunt, vt quam-  
uis euoluas historias omnes omnium gentium, nihil tamen si-  
mile reperias.

An non hoc verum? Quis ignorat quod euenit Faliscis, & Ca-  
millo? Mos erat, inquit Liuius lib. 5. Faliscis eodem magistro li-  
berorum, & comite vti: simulque plures pueri vnius curæ com-  
mittebantur, principumque liberos, sicuti ferè fit, qui scientia  
videbatur præcellere, erudiebat. is cum in pace instituisset pue-  
ros ante Urbem lusus, & exercitationis causa producere, mo-  
rem per belli tempus haud intermittens, dum modo breuiori-  
bus, modo longioribus spatiis abducit eos à porta, nihil tale  
metuentes, aut suspicantes intra stationes, & castra Romano-  
rum Camillo, qui Faliscos obsederat, sistit, se Falerios iam pro-  
didisse Romanis lætabundus asserens. Verum non ad similem  
tui, dixit ei Camillus, vel populum, vel Imperatorem scelestē  
cum scelesto munere venisti. nobis cum Faliscis nullo nouo pa-  
cti iure est inita societas; sed naturali, quod est omnibus  
commune, est ingenta coniunctio. paci que, & bello sunt sua iu-  
ra. ac sancte didicimus vtraque tueri, & præstare. armis in bel-  
lo non aduersus imbelles, atque inermes pueros utimur. atati  
isti parcitur à nobis victo populo, atque vrbe capta: expeditus  
illa, ac stringimus in armatos, & eos, qui nec læsi à nobis, nec la-  
cessiti castra Romana ad Veios oppugnarunt. Tu scelere vin-  
ces. Ego Romanis artibus ac fortitudine, ac virtute. Ita locu-  
tus vir admirabilis, nudatum ludimagistrum, manibus post ter-  
gum victis reducendum Falerios pueris tradidit; virgasque  
eis, quibus proditorem verberarent, dedit. Ad quod spectacu-  
lum populus confluens, re cognita, senatuque coacto deditiōē  
fecit, imperata se omnia facturum professus.

Quid illud Pyrrhi Epirotarum Regis? Cum Fabricius Romæ  
consulatum iniisset, grauissimaque inter Romanos, ac Pyrrhū  
bella exardescerent, veniens quidam in Castra Romana episto-  
lam detulit à Medico Regis perscriptā, in qua offerebat se Pyr-  
rhum veneno necaturum, si præmium traderetur sibi absque  
ullo discrimine bellum pro Romanis gerenti. Fabricius homi-  
nis flagitium detestatus, adducto in eandem sententiam colle-  
ga, Pyrrhum statim per litteras monuit, vt insidias medici  
caueret, in hæc verba scribens. C. Fabricius, & Q. Æmilius  
Cōs.



Col. Pyrrho Regi salutem. Neque amicorum, neque hostium A  
 fortunatus æstimator esse videris; cognosces enim, cum hanc  
 epistolam ad nos transmissam perlegeris, te bonis quidem, ac  
 iustis viris bellum inferre; malis vero, atque iniustis confidere.  
 Hæc autem non tui gratia nota facimus tibi, sed ne mors tua  
 nobis calumniâ afferat, quasi virtute nequiuimus te supera-  
 re, ac dolo contendisse. Acceptis itaque Pyrrhus Fabricij litte-  
 ris, medicoque conuicto, ac merita pœna affecto, ad retributio-  
 nem beneficij captiuos omnes gratis Fabricio, Romanisque  
 restituit, ac legatum Cyneam misit pro pace firmanda. At Ro-  
 mani neque gratias ab hoste, neque mercedem volentes acci-  
 pere parem Tarentinorum, atque captiuorum numerum Pyr-  
 rho remiserunt. De amicitia vero, & pace nihil agitari per-  
 miserunt; priusquam Rex ipse cum armis, atque exercitu, cū-  
 que his, quas secum è Græciam duxerat naues, abiisset.

Sed hæc omnia, quæ diximus, nullius esse momenti, appare-  
 bunt; cum protulerimus in medium, quæcumque egit Attilius  
 ille Regulus. Nam cum captus esset à Carthaginensibus in bel-  
 lo, & ab eisdem missus ad Senatum fuisset, vt cum eo de pace  
 ageret; quòd si eam non posset impetrare, de captiuis commu-  
 tandis, ac iureiurando astringeretur Carthaginem redire, si cō-  
 mutari captiuos non placuisset, vtrumque negandi auctor Se-  
 natui fuit, quāuis acerbissima, & atrocissima supplicia ab ho-  
 stibus dirissimis timenda forent, reuerti tamen voluit. quocir-  
 ca indignantibus ad eius constantiam Carthaginensibus, do-  
 lio ferreis vndique clauis circumsepto inclusus, & in mare pro-  
 iectus miserabiliter toto corpore perforatus, & dilaniatus exē-  
 plum fidei persoluendæ illustrissimum posteris relinquens est  
 extinctus. Hinc ille:

*Hoc cauerat mens prouida Reguli*

*Dissentientis conditionibus*

*Fœdis, & exemplo trahentis*

*Progeniem veniens in æuum.*

*Hic vnde vitam sumeret inscius*

*Pacem duello miscuit. O pudor*

*O magna Carthago probrosis*

*Altior Italiae ruinis.*

*Fertur pudicæ coniugis osculum*

*Paruos-*

*Paruosque natos, vt capitis minor*

*A se remouisse, & virilem*

*Toruu humi potuisse vultum.*

*Donec labantes consilio patres*

*Firmaret auctor numquam aliàs dato,*

*Interq. mœrentes amicos*

*Egregius properaret exul.*

*Atqui sciebat, quæ sibi barbarus*

*Tortor pararet. non aliter tamen*

*Dimouit obstantes propinquos,*

*Et populum reditus morantem.*

*Quam si clientum longa negotia*

*Dijudicata lite relinqueret*

*Tendens Venafranos in agros,*

*Aut Lacedæmonium Tarentum.*

Post hoc est aliud memorabile exemplum. Nam cum victor  
 Annibal insigni pugna ad Cannas Romanorum millia mul-  
 ta occidisset, multa etiam cœpisset, ac pecunijs egeret, nōnul-  
 los ex eis Romam misit, qui de cæteris redimendis pacisceren-  
 tur, iureiurando dato in castra ipsos redituros, nisi obtinerent,  
 quod petiretur. His actis eorum quidam, simulatq. egressus est;  
 paulopost simulans ob nescioquid opus esse, vt ad castra reuer-  
 teretur, eo rediit, ac mox iter incēptū repetens cum suis Ro-  
 mam venit. Verum cum nihil à Senatu multis precibus extor-  
 queri posset, omnes Vrbe relicta ad Annibalem contenderunt,  
 illo excepto, qui fallaci reditu se religione exsolutum crede-  
 bat. quod vbi innotuit, relatumq. est ad Senatum censuerunt om-  
 nes compræhendendum, & custodibus publicè datis ad Anniba-  
 lem subito deducendum. Atque hæc quidem Romani, qui si par  
 pari voluissent referre, poterant illi captiuos omnino retinere,  
 quando Annibal ad Thrasymenum lacum Romanorum sex mil-  
 lia pollicitus, si tradidissent arma, abire se eos liberos permissu-  
 rum, contra pactionē captos in vincula coniecisset, ac retinuis-  
 set. Sed in Romanis plus valuit commune ius, quàm priuata in-  
 iuria. Tanta erat in ipsis fides; tanta constantia in obseruan-  
 dis promissis.

Ac ne putes infideliter eos egisse, vbi occasio se obtulisset  
 O imperij



imperij dilatandi. Audi quod paulo ante bellum, quod Annibale Duce Carthaginenses aduersus Romanos gesserunt, accidisse narrat Polybius lib. 1. Tenebant illi imperio Lybiam, magnâque Africæ partem, Sardiniam, & aliquot Hispaniæ, Siciliaque loca. Sic omnes ab eis defecerunt, vt ab Afris obsessa vndique fuerit Carthago. Quid hic Romani aduersus inimicissimam ciuitatem? semper, inquit Polybius, Carthaginensibus subsidium petentibus dedere: mercatoribus, qui sub eorum imperio erant, vt frumentum Carthaginem exportarent, permiscere: contra vero ferre in castra hostium commeatum omnibus prohibuerunt. Numquid amplius Romani? Erat, vt diximus, in potestate Carthaginensium Sardinia, & Vtica, cui secundæ post Carthaginē dabantur in Africa. Veterani qui Carthaginensium noīe insulam tenebāt, misere legatus ad Romanos, qui se, insulamque, ipsis traderent. Eadem fecere Uticenses. Poterant Romani accipere oblata; vel illo saltem prætextu, vt neque Uticenses, neque Sardi quidquam detrimenti afferrent Carthaginensibus, neque coi-  
rent, viresque iungerent aduersus Carthaginenses, sed paci, ac tranquillitati studerent. Hæc erat honesta species amplificandi imperij. At huiusmodi consuetudo Romanis haud fuit, reiecere legatos, Augendæ potentiæ occasionem præclaram sibi è manibus elabi haud curarunt.

Mille eiusmodi possent à nobis afferri exempla, è quibus clarissimum fieret, cordi potissimum fuisse Romanis, vt à iustitiæ linea ne recederent. atque idcirco Deum promouisse illos ad imperij tantam magnitudinem, quod S. Augustinus adnotauit. Nam proferantur quæso tot, ac tanta fidei seruata exempla è quouis alio populo, Rep. aut Rege? Non aderunt. Rectè igitur Polybius lib. vj. Dionysius Halicarnassensis 1. Græci scriptores Romanos Virtute, ac iustitia tot, ac tantas sibi ditiones acquisuisse narrant. Hinc illud apud eos institutum, nequod inferretur bellum, nisi prius fœcialibus missis ad eos, in quos moueretur, vt iniuriæ satisfacerent, examinatis, & approbatis ex vtraque parte iuribus, nequid scilicet in leges gentium, naturæque, & iustitiæ consentaneas peccaretur, quod Plutarchus in vita Numæ refert. Ac potest quiuis sumere in manus Lium, Dionysium, Polybium, Appianum, Dionem, atque alios, qui fusius res à Romanis gestas describunt, ac videbit, qua fidei constantia Romani, qua cæteri publicas res administrarent. Quamobrem rectè Silius Italicus libro decimo tertio.

Fœdera mortales ne sauo rumpite ferro,  
Sed castam seruate fidem: fulgentibus ostro  
Hæc potitur regnis, dubius qui frangere rerum  
Gaudebit pacta, ac tennes spes linquet amici  
Non illi domus, aut coniux, aut Vita manebit  
Vnquam expers luctus, lachrymæque, aget æquore semper  
Ac tellure premens.

Et Claudianus.

In prolem dilata ruunt periuria patris,  
Et pœnam meritò filius ore luit:  
Et quas fallacis collegit lingua parentis  
Has eadem nati lingua refundit opes.

Notum illud oraculum, Glauco redditum, cuius meminit Herodotus lib. vj. vt sciamus, & ab impijs Damonibus haud potuisse negari, quanam pœnæ periuros manerent. Milesius quidam magnam pecuniæ summam deposuerat apud Glauco Spar-  
posito, vt ei redderet, qui notam quandam attulisset. defuncto Milesio, filij eius Spartam veniunt, Glaucoque adeunt, atque exhibita nota pecuniam reposcunt. Ille repellere cœpit homines, ac vicissim respondere, neque istius rei quidquam reminiscor, neque ad me quidquam pertinet eorum, quæ dicitis. Volo tamen reminiscens quidquid iustum fuerit, exsoluere, ac siquid accepi bona fide reddere. sin à principio non accepi, Græcorum legibus in vos uti. Ad quod confirmandum, præstituo vobis tempus mensium quatuor. Hoc audito Milesij facta iactura, pecuniæque fraudati, discessere. & Glauco Delphos se contulit ad oraculum consulendum. Cui percontanti an  $\epsilon\pi\upsilon\chi\iota\delta\epsilon\varsigma$ , idest iureiurando prædaretur pecuniam, Pythia respondit his verbis.

Glauco Epicydides nunc expedit ad breue tempus  
Sic orco vicisse, interuertisseque nummos.  
Deiera & Euorcum: quoniam manet exitus idem  
At Orci natus, qui nomine, qui manibus, qui  
Nullis est pedibus rapide aduenit, usque adeo dum  
Conuoluens omnem perdat prolemque, domumque.



*Cum sobole Euorci melius nam postea agetur.*

His auditis Glaucus veniam sibi eorum, quæ dixisset, ut daret, obsecrabat. Cui Pythia respondit idem valere, Deum tentare, ac perpetrare. Tunc Glaucus accitis Milesijs pecuniam reddidit. Glauci verò progenies, ac domus ita deleta, ac radicitus extirpata est, ut nihil omnino superfuerit. Hæc Herodotus lib. vj. ut videas quibus afficiantur pœnis diuinitus simulatores, ac periuros ipsis malis Dæmonibus esse flagitiosiores.

Quin hoc erat in more positum apud gentes, ut si quis noxam fecisset, alicui quicumque illum recepisset, quasi criminis socius existimaretur, quando illi tutum perfugium dedisset. Quamobrem populi solebant reos huiusmodi criminum, præsertim verò grauium dedere, ne supplicij diuinitus infligendi fierent villo modo consortes, quod tum è multis Herodoti locis, tum verò è Thucydidis libro primo constat. Iam verò si quis diligentius perscrutetur originem, causasque ob quas euersæ sunt celeberrimæ Vrbes, vastatæ regiones florentissimæ, comperiet accidisse id plerumque ob violatam fidem, ius commune, aut neglectam religionem; quæ colligi possunt è superioribus, atque ijs, quæ libris de signis Ecclesiæ Dei, persecuti latè sumus.

Rursus quis ignorat Achitophelem, quod Dauidi fidem datam violasset, suismet ceruicibus iniecisse laqueum, mortemque conscivisse? An non Andronicus Antiochi Regis militum dux, cum data securitate Oniam necasset, iussu Regis eiusdem purpura exutus, per totam ciuitatem circumductus, eodem loco, quo sacerdotem occiderat, Deo sui sacerdotis ultionem expetente vita est orbatus? multa sunt in diuinis libris exempla harum rerum, quæ omittimus, quod in promptu sint.

Cleomenes Lacedæmonum Res, ut ageret Tyrannum, Reipublicæ custodes ephoros occidit, datas Arginibus septem dierum inducias tertia nocte violauit, & neque opinantes oppressit, quod se dierum, non autem noctium fecisse inducias diceret. victus à cæcorum mulieribus, atque inde in furorem versus, ridens accepto cultro à plantis pedum ad partes usque corporis vitales seipsum dissecuit.

Memorabile illud Agesilai Regis in Asia contra Tisaphernem Persarum bellam gerentis. Nam cum factas trium mensium inducias Tisaphernes violaret, & in Græcos imparatos irrueret, cæteris stupentibus, lætitiâ præ se ferens Agesilaus, gratias, inquit, habeo

A beo Tisapherni, qui sua perfidia Deos sibi hostes, nobis verò socios fecit. securi ergo prælium incamamus, qui tam bonis sociis freti sumus. Atque ita suis excitatis prælium committens perfidum fudit, ac fugauit.

Ptolomæus Ceraunus Urbem Thraciæ Cassandriam cum non posset expugnare, data pacis fide, modo ei soror nuberet, ingressus Urbem, omnia cæde impleuit, & à Gallis postea victus, capite ad hastam fixo, & ad terrorem circumgestato, miserandum sui spectaculum præbuit.

B Tryphon, de quo in libris Machabæorum fit mentio, ut regnum Syriæ sibi occuparet, Antiochum puerum per summum scelus interfecit, Ionatham Machabæum simulatione pacis obtruncavit, sed ab Antiocho Sedete Apameæ obsessus intulit sibi manus, ac mortem.

Syphax Numidiæ Rex, contra fœdera cum Romanis ista, aduersus hos se Pœnis adiunxit, victusque à Scipione, ac Romam ductus in triumpho misere vita functus est.

C Quid autem de Ruffino, Gildone, Eutropio, Gaine, ac Stilicone dicemus, qui variis prætextibus iustitiam prodentes arma in suos Imperatores impiis conatibus tulere? Odoacre Herulorum Rege, Oreste militum Magistro, Aspare, Ardaburio, ac plurimis huiusmodi, qui legitimas defectionum causas ad arripienda imperia, Imperatoresque deiiciendos ostentabant, prolixiores nimis essemus, si quæcumque in historiis passim legentibus occurrunt, huc transferre vellemus apertissimum cunctis facientes, nihil æque ad maxima bona vel in ipsis terris assequenda valere inter mortales, ad honores, & opes comparandas, quam fidem seruare, à mendaciis abesse, & abhorrere.

D Illud non omitemus imperia duo maxima omnium, quæ fuerint simul & omnium maximè diuturna extitisse, Persicum, & Romanum. Nabuchodonolori, & Alexandri imperium Persico præstitit amplitudine, sed non duratione, ut supra ostendimus. Persæ porro, ac Romani præ cunctis populis veritatem sincerissimè in multas ætates coluere. De Persis testatur Herodotus lib. i. asserens ab ipsis edoceri pueros ab anno quinto ad vicesimum, equitare, arcu sagittas iacere, vera loqui. Idem tradit Xenophon in Pædia Cyri. De Romanis est inter alios auctor Polybius lib. 6. Quibus sanè testibus nullo modo suspectis est omnino habenda fides. Atque ita colligimus ad imperia potentius



tissima acquirenda nihil esse potentius veritate. A qua si aber-  
retur, protinus illorum fit labes.

*Apertissimè ostenditur Assyriacum, Chaldaicum, Aegyptia-  
cum, Persicum, Græcicum, Romanumque imperium  
concidisse ob dolos, ac proprias simulatio-  
nes. Cap. V I I.*



Ge vero illustrissimum faciamus maxima que-  
que imperia apertissimè, vt nemo diffiteri  
possit, ob simulationes, adumbratasque Re-  
gum virtutes concidisse; & à vetustissimo om-  
nium, quæ fuerint, imperio exordium facia-  
mus. Illud verò conuenit inter omnes esse As-  
syriacum. Quod à Nino, ac Semiramide voluit  
amplificatum. quibus vero artibus posteri illud tueretur vsque  
ad Sardanapalum sic Diodorus lib. 2. cap. 6. sumpto regno. Ni-  
nias Nini, & Semiramidis filius pacem cum singulis egit, ne-  
quaquam matrem imitatus: sed omne vitæ tempus reclusus in  
regia, conspectusque hominum vitans, inter pellices, & Eunu-  
chos ocium, & delicias securus traduxit. exultabat enim in-  
commoda omnia vitare, in continuis versari voluptatibus, va-  
cuum esse curis summam in Rege felicitatem esse. Ad securita-  
tem imperij, vt à subditis timeretur, annuatim certum nume-  
rum militum indicebat, & eorum ducem singulis prouinciis im-  
perabat. Exercitus cum extra Vrbe conuenisset, ducem cuique  
nationi prudentissimum eorum, qui secum erant, cōstituebat.  
Acto anno copias remisso domum priori milite, rursus à prio-  
ri milites petebat. quo fiebat, vt & subditi promptius imperata  
facerent, cum semper timor militum sub dio agentium immi-  
neret; & si qui fortè desciscerent, timore pœnæ quamprimum di-  
cto parentes essent. Annuam vero militum mutationem ad id  
conferre existimauit, vt parua temporis cōsuetudine nulla in-  
ter eos amicitia contracta, neque duces, neque cæteri aduersus  
Regem conspirarent. Diutina enim militia tum milites robu-  
stiores, tum Duces prudentiores solet efficere, quæ res sæpius  
magnas facultates ad desciscendum à principibus præbuit.  
Vita vero Principis exteris ignota, voluptates eorum occultas  
reddit & tanquam Deum à conspectu remotum ne verbo qui-  
dem

A dem Regis maiestatem violare vllus audet. Hac ratione exerci-  
tuum Duces, prouinciarum Præsides, domesticarum rerum cu-  
ratores, iudices præterea singularum gentium, aliaque pro  
regni cura disponens vitam traducebat, similiter & cæteri Re-  
ges vsque ad Sardanapalum. Hæc ille.

Quid igitur, num simulata hæc Maiestas, & vmbra-tilis, falsa-  
que sanctitudo longè procedet, stabit? ab Arbaeto, aiunt dete-  
ctas hæc delicias, hoc vitæ genus effaminatissimum, sed tamen  
imagine cuiusdam pene diuinitatis opertum, secessionem fa-  
ctam, captam Ninum, flammis omnia cum Sardanapalo data.

B Hic scilicet ementitæ virtutis exitus. Hic Assyriaci imperij fi-  
nis. At inquiet vir acutus non ob simulationem periit imperiū  
tantum, sed ob mollitiē, delicias & effaminatissimū viuendi ge-  
nus. Ita sane. Verum fidebant isti Reges hæc omnia fore operta  
inuolucris, ac tuta veluti quibusdam munimentis honorifici il-  
lius secessus, qui subiectos ad reuerentiam prouocaret, ac cæte-  
ris artibus, de quibus est dictum, sic aliis in rebus pro futuros  
alij Reges existimant sibi dolos, obiectaue virtutis effigiem  
ad continendos in officio populos. Atque hæc quantum ad Ni-  
ni Reges.

C Chaldaicum sequitur imperium post Assyriacum Nini. cu-  
ius excidium scimus, è Daniele, & Herodoto. Narrat hic lib. 1.  
Cræsum potentissimum Lydorum Regem, cum videret Cyrum  
magis in dies augescere, ac regni fines amplificare, fœdus iniit  
se cum Labynito Babyloniorum, Chalderæque Tyranno, is est  
Balthasar apud Danielem, & cum Amasi Aegyptiorum Rege,  
ac metu excrescentis quotidie potentie bellū Cyro intulisse.  
Cyrus, qui nihil iniuriæ fecerat in Cræsum, vel Labynitum, vi-  
ctor exiit, Cræsum, regnaque ipsius capit, ac mox obsedit Ba-  
bylonem munitissimam, vt Herodotus describit, Urbem, quæ  
capta est tandem ciuibz, ac militibus in conuiuia, choreasque  
effusis. Atque ita dum Chaldaeorum Rex cum Cræso infidias  
struit immerentibus, fœdus init aduersus finitimos absque vllō  
iure, bellumque mouet nulla de causa, perniciem sibi compara-  
uit, exitiumque extremum.

Aegyptiaci fuit eadem fors. Sed multo apertiores causæ. A-  
pries ante Amasim, qui cognomento dictus est ob calliditatem  
sapiens, vt est in Timæo Platonis, regnavit in Aegypto. Verum  
deficientibus Aegyptiis ab Aprie ob fallas qualdam suspicio-  
nes missus est Amasis ab Aprie ad eos sedandos; hic asurum  
ag-



aggressus imperium sibi Ægypti vēdicauit, Apriem cœpit acie A  
victum, qui mox est strangulatus. Cum Amasi, ut diximus, socie-  
tatem coniunxerat Cræsus aduersus Cyrum. sed hoc defuncto,  
Cambyses filius filiam sibi petiit uxorem dari ab Amasi, qui lo-  
co filia mittit Aprii filiam, quam suam dicebat. Tum superio-  
ri fœdere, tum vero hac illusione irritatus Cambyses mouit ad  
uersus Psammenitum filium Amasis, qui paulo ante decesserat,  
victorq. Psammenitum cœpit, atque Ægyptum. Mos Persis erat  
Reges prælio superatos plerumque haud interficere, sed impo-  
sito tributo, custodiisq. adhibitis procuratores eos cum digni-  
tate relinquere in regno. Id agere cum Psammenito Cambysi B  
in animo erat. At ille insidiosè ad defectionem sollicitare Ægy-  
ptios aduersus Cambysem cœpit. Qua re indignatus hic epoto-  
eum sanguine taurino mori coegit. Atque hic finis fuit simula-  
tionū, dolorumq. quibus Amasis auertit ab Aprie, & in se tran-  
stulit Ægypti imperium, conspirauit in Persas cum Cræso, & La-  
bynito. Hic exitus filij Psammeniti dolosè agentis aduersus  
Cambysem victorem. cum prius ipsius milites atrocissimè in  
conspectu Persici exercitus iugulassent filios cuiusdam Phanis  
innocentes super quosdam crateres, sanguinemq. ex illis pro-  
fluentem vino mixtum bibissent; legatos præterea missos à Per- C  
sis in frustra discerpissent, cōtra omnium gentium leges, ut scia-  
mus, quò doli perducant, quò mendacia artificiosè contexta.  
Hæc Herodotus lib. 2.

Persæ post hos omnium latissimè imperarunt, qui, ut ex He-  
rodoto, & Xenophonte supra dicebamus à principio maximè  
omnium veritatem coluerunt, ut mirum non sit, si Darius Per-  
sarum Rex Zorobabeli præmium sponsonis adiudicauit, cum  
contentio ipsi esset cum tribus aliis, quodnam foret in rebus hu-  
manis potentius, & alijs alia dicentibus, ipse veritatem dixit D  
omnium potentissimam. Quales verò fuerint paulo antequam  
subuerteretur ipsorum imperium, sic Xenophon lib. 8. Pædia  
nouī enim & Regem (Persarum) prius, & qui sub Rege essent,  
etiam his, qui vltima scelera perpetrassent, siue iniurandum  
iurati essent, iniuratum præstare, siue dextras dedissent, con-  
stantissimè obseruare solitos. quod si minus tales fuissent, & hu-  
iusmodi de se opinionem non præbuisent, ne vnus quidem cre-  
didisset eis, quemadmodum nunc nemo amplius credit, postea-  
quam cognita est eorum impietas: sic neque tunc illi credidif-  
sent, qui duces vnā cum Cyro ascenderunt. At hoc tempore,  
qui

A qui priori de ijs opinioni crediderunt, seipsos interfecerunt, &  
ad Regem ducti obruncati sunt. Multi etiam eorum barbaro-  
rum, qui vna militarunt, alij alia decepti fide data perierunt.  
multi præterea etiam in ijs rebus nunc sunt deteriores. Antea  
enim si quis aut periculum subiisset pro Rege, aut Urbem gen-  
temue in seruitutem egisset, aut aliud quidpiam pulchri, boni-  
tate peregisset, hi erant, qui in honore habebantur. At nunc etiā  
si quis, quemadmodum Leomithres, uxorem, ac liberos, amico-  
rumq. filios obsides apud Ægyptum liquisset, isque maximum  
iniurandum iuratus esset, si transgrederetur erat ex ijs, qui  
B maximos honores præmij loco habent. Hæc igitur videntes  
Asiatici, omnes ad impietatem, & iniustitiam versi sunt. quales  
enim sunt Præfeti, tales etiam, qui sub ipsis sunt, fere fiunt: ob-  
eamq. rem maiore vtuntur licentia nunc quā antea, præfer-  
tim circa pecunias, ut sunt iniustiores. quò sit, ut nihilo illi mi-  
nus, qui videntur esse ditissimi, quā qui multa per iniustitiam  
deliquerunt, in metu sint. Hæc Xenophon; è quibus liquet cun-  
cta per dolos acta apud Persas, nihil ijs fuisse sincerum, sim-  
plexq. in administratione rerum priuatarum, ac publicarum.

C Græci, ut omnes norunt, Persis in imperio succedere Alexan-  
dro Rege, qui longissimè semper abfuit ab omni simulatione,  
sed animi magnitudinem præferens in omnibus admirandā,  
cuncta aperta sine vlllo fūco, ac fallaciis semper habuit. quam-  
obrem regni initio cum multi suaderent, ut barbaros blandis  
deliniret, Græcos astu caperet, & in suas partes traheret, nihil  
voluit dissimulanter agere, sed bello illos adortus aperto vicit,  
hos celeritate expeditionum, viq. militari domuit. Cumque  
insimulatus apud illum per epistolam Philippus medicus fuif-  
set, quasi yenenatum poculum ministraret, accepit intrepide  
D potionem, ac litteras medico ostendit, cum nihil intidiarum ti-  
meret ab aliis, qui nullas ipse vlli struere solitus esset. Sed de vir-  
tutibus Alexandri extat liber Plutarchi, quo latè ille disputat,  
non immeritò imperium tantum diuinitus fuisse delatum tan-  
tis virtutibus prædito Regi. Et tamen hic extremis vitæ die-  
bus in magna vitia prolapsus luce hac, & regno priuatus obiit.  
Qui verò fuerint eius primarij successores, ut ab omni virtutū  
genuino officio degenerarent, est dictum.

Romani igitur accepere dominatum totius terræ habitabi-  
lis, qui mox ad Italianos, inde ad Hispanienses, atque ab his ex  
aliis in alias nationes deuolutum denique in Christianis rese-  
dit.



dit. Et quidem quantum veritati detulerint Romani aperui-  
mus supra. Ruinam tamen ducente Rep. fraudibus, atque insi-  
diis latissimus est aditus factus; ut iure in vnus potestatem  
Deus adduci cuncta permiserit, atque ex hac in illam gentem  
transferri. sic enim vates ille.

Quippe ubi fas versum, atque nefas, tot bella per Orbem  
Tam multæ scelerum facies; non vllus aratro  
Dignus honos: squallent adductis arua colonis.  
Et curuæ rigidum falces constantur in ense.  
Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum  
Vicina ruptis inter se legibus Vrbes  
Arma ferunt; sæuit toto Mars impius Orbe.

Sed & Lucanus aperiens cuncta regna à veris virtutibus, nō  
fucatis pēdere, dum causas explicat Romanę Reip. ruentis, ita  
canit.

Hæ ducibus causæ suberant; sed publica belli  
Semina; quæ populos semper mersere potentes:  
Namque, ut opes nimias mundo fortuna subactō  
Intulit, & rebus mores cessere secundis,  
Prædaque, & hostiles luxum suasere rapinæ  
Non auro, tectisue modus: mensasq. priores  
Aspernata fames: cultus gestare decoros  
Vix nuribus, rapuere mares: fœcunda virorum  
Pauperies fugitur, totoq. accersitur Orbe  
Quo gens quæque perit. tum longos iungere fines  
Agrorum: & quondam duro sulcata Camilli  
Vomere, & antiquos Curiorum passa ligones  
Longa sub ignotis extendere rura colonis:  
Non erat is populus, quem pax tranquilla iuuaret,  
Quem sua libertas immotis pasceret aruis.  
Inde ira faciles, & quod suasiset egestas  
Vile nefas: magnumq. decus, ferroq. petendum  
Plus patria potuisse sua; mensuraq. iuris  
Vis erat: hinc leges, & plebiscita coacta.

Hæc

A Hæc isti è quibus omnibus apparet, in primis veritati studen-  
dum, genuinæq. probitati, ac fucum nihil posse ad extremum,  
vel ad imperia comparanda, vel siquidem parentur, ad ea diu-  
tius tuenda.

Illustrissimo exemplo Orientalis imperij, & Occidentalis ape-  
ritur, quantum possit vera virtus inermis, & quan-  
tum ficta, & armata. Cap. VIII.



B ROSE QUAMVR adhuc tamen orationē, mi-  
rabiliq. euento veritati comprobemus, nihil  
æque ad regnorum tuitionem, & incrementū  
valere, quā pietatem, veritatemque, nihil  
perinde posse ad excidium, & diminutionem,  
quā fraudes occultas, fictamq. religionem,  
pronunciatumq. illud antiquum maximè consentaneum ve-  
ritati.

*Malum consilium consultori pessimum*

C Igitur omnium memorabilissimo exemplo ostendamus, quan-  
ti sit ex vna parte imbellis pietas, ac veritas inermis, ex altera  
verò ferox impietas, & fraus armis vndique accincta, ac bella  
ciens; progrediens vtriusque partis, atque exitus attenda-  
mus.

D Anno quadringentesimo octauo in Occidēte imperabat Ho-  
noriū, in Oriēte Arcadius fratres Theodosio Magno Augusto  
nati; obiit Arcadius, Theodosium filium, qui nondum exegerat  
annos vndecim, relinquēs, Pulcheriamq. annorum quindecim,  
ac duas præterea minores filias. Honorius vel ante mortē fra-  
tris per dolos eripere ipsi Orientale imperium machinabatur,  
agitatis multo ante in eam rem consiliis, multisque, quas disce-  
rat Deus, insidiis comparatis. Quin hoc ipso anno Alaricum  
Gothorum, siue Regem, siue ducem in Illyrico subsistere cū ma-  
ximo exercitu iusserat, Stilichonemq. miserat, qui de impro-  
viso confinia perrumperet, Constantinopolimq. aduolaret, & ca-  
peret. His rerum momentis vita migravit Arcadius, paru-  
lo, ut diximus filiolo relicto, ac Virguncula Pulcheria. Tum ve-  
rò Honorij, ac Stilichonis simul animus exardescere cœpit, &  
inhiare impuberis imperio. Quid enim protegeret illud? dec-



rant omnia Theodosio puerulo, milites, duces, consiliarii, aucto-  
ritas, ingenium ad imperii tantam molem sustinendam, pate-  
bat atas insidiis omnium, malisq. artibus. Erant in ipso limi-  
ne Gothi, Vandali, Sueni, Alani, Hunni, qui protinus omnia de-  
uorarent, ipse Honorius, à quo sperari, & expectari omne presi-  
dium poterat, ille ipse erat, qui dolos necebat, ac ruinam strue-  
re moliebatur, ita vt hæc omnia persentiscens multo ante, ac  
probè sciens Arcadius tutorē filiis reliquerit Isdegerdem Per-  
sarum Regem, non Honorium fratrem. Sed quid ille posset lon-  
gissimè positus, & in remotissimis oris, aut quid ab eodem non  
timèdum, qui semper Orientalis imperii fuisset inimicissimus? B  
Actum prorsus itaque erat de Theodosio tenellæ ætatlæ Impe-  
ratore, actum de regno eius erat. Quid enim destineret, quid  
quæso retardaret Honorium præliis assuetum, consiliis expe-  
diendis exercitatum, militibus, ac ducibus vndique armatum,  
cuius dicto audientes essent, quæ ceruicibus Orientalis impe-  
rii ferocissimæ gentes imminerent? I nunc, ama veritatem, co-  
le fidem, complectere iusticiam, religioni adhære, confuge ad  
preces, inuoca, implora, obtestare omnes superos, supplicibus  
votis fatiga Deum? simpliciorum sunt ista, & irrisioni paten-  
tium. C

*Cura tibi Diuū effigies, ac templa tueri.*

Sinceris non sunt administranda regna, circumueniendi om-  
nes, & illudendi. sic itur ad regna, sic illa confirmantur, augen-  
tur, ad summum culmen euehantur. Itane? Euenta tantarum  
molitionum quæso videamus. Accurrant Macchiauelli doctri-  
nam laudantes, sectantes, accurrant omnes mortales, contem-  
plentur admirabile certamen, prælium cunctis sæculis memo-  
rabile, & suspiciendum.

In aciem prodit, en vide, pugio inermis, expers iudicij, omni D  
præsidio nudatus, molliculus, vix hærens vestigiis. & huic tan-  
tillo Orientale innititur imperium.

Ex aduerso erumpit miles exercitatus, ferreus totus, exerci-  
tibus circumseptus, conglobatis agminibus irruens, sagax, ar-  
ma tractare, cuncta ardua solitus explicare, victorias illustris-  
simas referre, trophea nobilissima statuere, triumphos ducere,  
ex hostibus acerrimis, & quidè plurimis consuetus. & huic tan-  
to, his tot, ac tantis Occidentale imperium corroboratur.

Et ille puerulus vincet? illius imperium stabit? Hui res riden-  
da,

A da, exhibilanda, explodenda. Certè quidem vincet ille, stabit  
illud. Apage, quid fiet istud? Adcurrat auxilium latura sororecu-  
la annorum quindecim, vota concipiet, ad Deum confugiet, fu-  
gabit, dissipabit, conteret, ad nihilum rediget omnia contra-  
ria. ita vt Orientale imperium stet, floreat, Occidentale miser-  
rimè dilanietur, corruat.

O rem prorsus omnium cachinnis excipiendam, sæculis om-  
nibus omnino deridendam. fallimur ne, an fallimus? Ita certè  
res est. Ac dubitamus à Deo cuncta gubernari? Mei autem pe-  
nè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia zelauī su-  
per iniquos, pacem peccatorum videns, quia non est respectus  
morti eorum, & firmamentum in plaga eorum, in labore homi-  
num non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo te-  
nuit eos superbia, operti sunt iniquitate sua. Ita diuinus vates,  
sed quid postea conuersus ad Deum? Verumtamen propter do-  
los posuisti eis, deiecisti eos dum alleuarentur, quomodo facti  
sunt in desolationem? subito perierunt propter iniquitatem  
suam.

In hoc igitur statu rerum, in tantis Orientalis imperij peri-  
culis, in extremo illius iam iam ruituri discrimine Pulcheria se  
C tota vita virginitatem Deo conseruaturam vouit: deinde vt  
idem facerent duabus sororibus paruulis persuasit. Atque vt  
consilium suum, decretumq. aliquo pignore stabiliret, & quasi  
testimonio quodam consignaret, admirandum pulchritudine  
incredibili ex auro, & preciosis lapillis confectum ornamētum  
in sacræ mensæ formam redactum virginitate sua, imperioq.  
fratris tuendo catholica Constantinopolitana Ecclesiæ dedi-  
cauit in ora illius, consilium, causamq. consecrationis huiusmo-  
di litteris insculpens, vt illa scilicet ipsius loco Deum quodam-  
modo precibus ad opem fratri ferendam, conseruandumq. im-  
perium continenter inuocarent. Ipsa igitur optimè, vti dice-  
bat, administravit imperium, quam celerrimè de rebus agen-  
dis consultauit, omnia referens in scriptum, scribendo namque,  
& dicendo Græcè, & Latine plurimū valuit. Sed quæcumq; age-  
bat, perinde atq; à fratre constituta esset, illi, ac nomini illius  
ascribebat; illud in primis curas, vt imperatoriis artibus educa-  
retur, ac disciplinis ætati cuique conuenientibus institueretur.  
Sic ille rem militarem, & equestrem didicit ab eis, qui rerum  
talium periti erant. Quemadmodum vero in publicis congres-  
sibus pro dignitate magnificus esset, ac splendidus, ab ipsa edo-  
ctus



Aus est, quomodo vestem sibi circundaret, consideret, incederet, risum moderaretur, placidus esset, ac mitis, terribilisve & minax, commodusque audiendis supplicantium precibus. Ante omnia vero docuit eum iustitiam, pietatem solidam colere, precati Deum continenter, templa sæpius adire, ædes sacras vasis, donariis, & ornamentis locupletare, plurimi facere ordinem sacerdotum, simulque viros bonos, qui Christianorum legibus optimè viuerent. Hinc ille fortis, laborum patiens, temporum vicissitudines, ac mutationes facillimè sustinens nihil ab æstu, & frigore metuebat. Ieiunio frequentie sororis disciplina se assuefaciens quarta præcipuè, ac sexta feria mane con-  
B surgens hymnos Deo cū sororibus dicebat alternis versus decantans, noctu diuinæ scripturæ intelligendæ operam dabat. Iram sic habuit in potestate, ut neminem sit ultus, à quo læsus fuerit nemo illum viderit iratum. si quis bellorum motus audiretur ad Deum confugiebat. defuncti episcopi sagum squallidum, quod is opinione sanctitatis præstaret, sub clamyde solebat gestare, sperans fore, ut diuinitus ob id ipsi multa concederentur. Atque ita gubernauit imperium Theodosius annis quadraginta duobus cuncta disponente Pulcheria, quæ fratri superstes Martianum sibi virum adsciuit, imperij consortem iure  
C iurando prius accepto, ne quid illibato Virginitatis flori imminueret, minimumve detrimenti afferret, cumque illo imperium moderata est aliquot annis. Hæc Sozomenus illorum temporum scriptor lib. 9. cap. 1. & sequi. Marcellinus, Cassiodorus, Nicephorus lib. 14.

His armis ad pugnam descendunt puerulus, ac Virguncula. O stupida, Macchiauellus inquiet, ingenia. Actum prorsus est de istis. dicto citius euanescent. Itane? An non Deus omnia gubernat? An non veritatem, veritatisque amantes tuetur, ac fouet? Annon infestissimus est fraudibus, nequitiis, flagitiis? Annon radicitus extirpat, siquid ab his enascitur, atque in altum se attollit? An non cognouere id vel à nostra religione auersi?

*Male parta, male dilabuntur.*

Ecce enim rebus in hoc statu constitutis, cum tot gentes effera constitissent in aditu ipso Orientalis imperij, nihil aliud, quam prædas meditarentur, multo longius abessent à locis Occidentalis subiectis, ab his absterreret ætas Honorij firmata usu, prudètia, duces ipsius militares soliti ex hostibus victorias

re-

A referre, eosque veluti manu, & consilio prompti fundere; ac profligare, ipse Honorius cupiditate, & insidiis Orientale imperium iam deuorasset, & ad illud extenuandum, vires eius debilitandas, quò scilicet facilius ipse caperet, tot barbaros immisisset, illi tamen Orientali omisso in Occidentale imperium ferociter irruerunt, totum spoliauerunt, discerpsērunt, dilaniarunt.

Honorio tot præfidiis communito Alaricus omittens Constantinopolitanum, Græciamque, cum suis Gothis in Italiam se se effudit, eamque vnà cum Roma cœpit, diripuit, vastauit, Burgundiones in Galliis considerunt, in eisdem Franci irruerunt, Britanni defecerunt, Vandali in Africam traiecturi Hispanias occuparunt; Attalus, Maximus, Iouinus, Castinus Imperatores aduersus ipsum creati. Stilicho denique bis socer in eum ruinas aliis molientem ruinas & ipse machinatus est. Hinc Numarianus.

*Quò magis est facinus diri Stilichonis acerbum,  
Proditor arcani qui fuit imperij.*

*Humano generi dum nititur esse superstes  
Crudelis summis miscuit ima furor.*

C *Dumque timet quidquid se fecerat ipse timeri  
Immisit Latia, barbara tela neci.*

*Visceribus nudis armatum condidit hostem  
Illata cladis liberiore dolo.*

*Ipsa satellitibus pellitis Roma patebat.  
Et captiua prius quam caperetur erat.*

quin viuētibus adhuc Theodosio, & Pulcheria, imperatibusque, cum iam Valentinianus Honorio successisset, nonne Africam Vandali caperunt? Ipse vero Theodosius, ac Pulcheria iucundissimos semper optatissimæ pacis, ac tranquillitatis fructus in maxima quiete perceperunt? Occidentali ruente nonne Orientale stetit, effloruit? conati sunt Scythæ, Hunni ab Aquilone; conati sunt Persæ ab Oriente in illud perrumpere, illud dilacerare, excindere, nihil effecerunt, nihil potuerunt, Roilas ingenti Scytharum Nomadum coacto exercitu, & Istro traiecto, Thraciâ populabundus ingreditur, propè Cōstātinopolim cōsedit, primo clamore, atque impetu ipsam capturus, direpturus, excisurus. quidni? cum forent id ætatis, id roboris Imperatores. Verum Deus imbrium copia incredibili demissa sic omnes eorum vires ener-



eneruauit, infregit, comminuit, vt nullo loco consistere possent, & quod incussit maximum timorem, cunctosq. prostrauit, ipse Dux Roilas demisso calitus fulmine est occisus, & ambusus. Idem verò propè cōtigit aliquibus Persarū prādatōriis copiis. Rursus, inquit Sozomenus, Vldas innumeros Hunnos secum trahens cum Martis castra Mysiæ ciuitatem cōpisset Constanti- nopolim pergebat, nullas pacis conditiones aut admittere, aut audire vllō modo volens. quid igitur euenit? castris vtrinq. positis obortus est inter Hunnos sermo de virtutibus Impera- toris, qui sic illapsus est in animos ducum, sic eos delinuiuit, ac cē- pit, vt protinus amore quodam tacito inflammati, & abrepti ab Vlda defecerint, ad castra Theodosij transferint, iis se se ad- iunxerint, ac subiecerint, Vldas vix potuerit incolumis inde se fuga proripere. Viden quanti sit vera virtus? quantas habeat vires? quid quæso ad hæc omnia Macchiauellus obstrepet? quid cum suis garriet? Quid pluris ad hæc etiam terrena potiunda, & habēda inermis, imbecilla, nuda, sed vera pietas? An insidio- sū, & fallacis, verumtamen ferro, & armis vndiq. cinctū, ac mu- tū fucus? En tibi ante oculos memorabilissimo, atque illustris- simo exemplo est vtraque posita quasi de imperio pugnatura. Verè igitur Claudianus, qui temporibus hisce viuebat.

*Sapē mihi dubiam traxit sententia mentem  
Curarent superi terras, an nullus inesset  
Rector; & incerto fluerent mortalia casu.  
Nam cum dispositi quæsissem fœdera mundi,  
Præscriptosq. mari fines, anniq. meatus,  
Et lucis, noctisq. vices; tunc omnia rebar  
Consilio firmata Dei; qui lege moueri  
Sidera, qui fruges diuerso tempore nasci,  
Qui variam Phæben alieno iusserit igne  
Compleri, solemq. suo; porrexerit vndis  
Littora, tellurem medio librauerit axe.  
Sed cum res hominum tanta caligine volui  
Aspicerem; lætosq. diu florere nocentes,  
Vexariq. pios; rursus labefacta cadebat  
Religio; causæq. viam non sponte sequebar  
Alterius, vacuo quæ currere semina motu*

Affor.

*Affirmat, magnumq. nouas per inane figuras  
Fortuna, non arte regi. quæ numina sensu,  
Ambiguo vel nulla putat, vel nescia veri.  
Abstulit hunc tandem Rufini pœna tumultum;  
Absoluitq. deos; iam non ad culmina rerum  
Iniustos creuisse queror: tolluntur in altum,  
Vt lapsu grauiore ruant.*

Hæc ille contemplatus, quæ Rufino acciderant, quæ & Stili- choni, Gaini, Gildoni, Eutropioq. euenerunt, dum scelere ad imperium per dolos peruenire contendunt.

*Ab animalibus ratione carentibus edocemur fraudes fugiendas,  
ac dolos, si nobis bene esse velimus, virtutem nisi ex omni  
parte possimus assequi, quantum possumus ta-  
men retinendam. Cap. IX.*



*D* summam liquet Regibus, qui inanes Vm- bras virtutum captant, ac venditant imperi- tis, vbi veritate dimissa, fallaciq. obiecta spe- cie fit aliquid ab eis in præsentī lucrum, nihil ad extremum boni contingere, quando eorū plerique omnes miserrimè interficiuntur, ijs vita est brevis, aut regno spoliati moriuntur, regnantes in maximo metu semper degunt, variis euentibus ærumnarum conflictantur, grauiori casu euecti ad altiora cum suis corruunt, perpetuis suorum disidiis, ac bellis vexantur, suo- rum ferales cades aspiciunt, neque tam lata, aut tam diuturna imperia possident, vt eiusdem conditionis boni Reges: atque hæc quidem, dum viuunt. post obitum verò perpetua solent in- famia notari, eorum posteritas non admodum durat, quin ne- potes ipsorum mutuis se se cadibus absumunt, populi ad inter- necionem delentur regiones eis subiectæ ad vastitatem, solitu- dinemq. rediguntur. Postremò autem, non alia ratione poten- tissimæ nationes ad imperia, quæ fuerint omnium latissima, ac maximè diuturna, diuinitus euectæ sunt, quam veritatis pro- fessione, obseruantia promissorū, fideiq. datæ præstatione, con- trariasq. ob causas deiectæ, ac spoliata.

Q

Atque



Atqui nos tum propensio cunctorum mortalium naturalis, tum verò animantium quorumuis ingenitus mos id poterant abundè docere. Nam cum per mentem simus homines, & hac distinguamur à bestiis, eius verò finis sit veritas, in quam toto impetu citatissima semper feratur, sit hinc nos à nobismetipsis desciscere, ubi à veritate recedimus, & intimam quandam fieri in nobis potissimarum partium discerptionem, qua miserrimè dilaceremur, quod cū refugiamus, fieri nullo modo potest, quin abhorreamus à mendaciis, mendaciorumq. amatoribus, amemus verò, & amplexemur, qui veritati student. Ob id etiā molestissimè ferimus ab ullo nos decipi, nam perinde est, si quis mihi humanitatem detrahere velit, & ex homine belluam prorsus efficere, eripit enim mihi quodammodo intelligentiam, siue intelligentiæ munus, cuius est quærere, & assequi veritatem, qui fucum facere, ac mihi falsa vult persuadere. Quamobrè necesse est, ut simulatio pariat contrarios effectus ijs, quos nititur pariturire, cumque fidem sibi velit conciliare veri specie, abrogabit omnino, efficietque, ut animus hominis pugnet aduersus huiusmodi mendaces, veluti proprios inimicos, neque in veris etiam credat, atque ita faciant iacturam simulatores, ut in omnibus nulla ipsis habeatur fides, odiumq. pro amore contrahant, & in omnia damna incurrant, cum nemo ipsis fidat veluti perfidis, ab eis metuat; atque idcirco extinctos cupiat, & quantum possit ad quamuis occasionem procuret.

Id autem nos ipsa animantia, quæ rationis expertia sint, clarissimè docent. ipsa omnium rerum natura tantam veritatem testificante, atque innumeris modis consignatam passim nostræ menti obijciente. Nam quæ belluæ sunt fraudulentiores, ac sauiiores, eadem minus viuaces, maioribus morbis naturaliter obnoxia sunt, à pluribus, & acerbioribus inimicis ad mortem quæsitæ, in locis, ac solitudinibus multo asperrimis degentes, quasi natura nobis identidem velit indicare, nihil in fraude, ac dolis, nihil in atrocitate esse boni, nullum in his esse fructum iu-cunditatis, lucri, aut honoris.

Quocirca testis est Aristoteles veritatis diligens inuestigator omnes bestias, quæ carnibus comedendis delectentur, inimicitis, & pugnis inter se decertare, mortemq. inuicem sibi illas machinari. Quæ verò ex his truculentiores magis esse dicuntur, ac magis dolosa, plures hostes speciatim patiuntur, duriori cibo, & locis tetrioribus utuntur. exempli gratia; serpentibus

- A** inimicitia sunt perpetua cum ciconiis, aquilis, vulturibus, miluis, ceruis, mustellis, suibus, lacertis, gallinis, testudinibus, ichareumonibus, à quibus deuorentur. Ceruus quidem nomen inuenit à Græcis non aliunde, quam à capiendis anguibus, *ελαφρος* enim Græcè dicitur, quasi capiens serpentes, quod spiritus attractione sola illos in os, ac fauces cogat descendere, cibumq. ipsi præbere. librat araneus, ait Plinius lib. 10. cap. 74. se filo in caput serpētis porrectæ sub vmbra arboris suæ: tantaq; vi morsus cerebrum apprehendit, ut stridens subinde, ac vertigine rotata, ne filum quidem desuper pendentis rumpere, adeo non fugere queat: nec finis ante mortem est: hæc ille. Iam verò non alia plerumque est serpentibus pastio, quam terræ, quæ tamen sic aduersus ipsos indignatur, ut nolit eos intra se recipere, quoties hominem momorderint, quod Plinius scribit. alioquin in locis ipsi tetris, & squalentibus habitare solent. Atque ita in omnibus postremas tenent, quasi fraudi eorum, maleficoq. ingenio natura nihil non pessimum reseruauerit, ac maximè nocens, siue naturales hostes inspiciamus, siue cibum, siue domicilium. Vulpes, ac lupus inter se exitialiter prælia committunt; illi præterea circus accipiter, cornix, & ardeola maximè infensi, huic & aliæ multæ bestia.

- C** Contra autem quales elephanti, grues, apes, vel quæcumque belluæ magis ad humanioris cuiusdam vitæ similitudinē propius accedunt? Canes ipsi hominibus adeo fidi, equi, animantiaq. huiusmodi multa? Transeamus ab hisce ad alia, quæ mansuetissima sunt. Num meliore sunt cōditione angues, lupi, vulpes, quàm nō dico superiora, sed mitissimæ columbæ, palumbes, cerui, oues, agni? Cuius generi istorū mors est destinata. quodlibet est morti addictum, sed vita his placidior, neque tot incōmodis, atque hostibus pariter obnoxia, & quod mirandum sit, progenies fecundissima, sedes haud desertæ, melior cibis. Vitam vult Aristoteles rerum naturalium solers indagator, homini esse longiorem, quàm cuius animalis, excepto elephante; ita ut, quæ de nonnullis bestiis asseuerantur, longè distent à vero. Palumbibus scribit esse vitam non modo ad annum vigesimum quintum, sed etiam quadragesimum. Ceruis, & cornicibus aliqui longissimam vitam ferunt. Nullum tamen animal, vel homini bene instituto, & morato magis amicum, vel simile videtur elephanto, ac nullum similiter felicius. Audiamus Plinium loquentem. Maximum est elephas, proximumq. humanis sensibus

Lib. 2. c. 63.

Lib. 4. c. 107  
de generatio-  
ne animalium.  
Lib. 9. c. 7. de  
hist. animalium.

Lib. 8.



bus. quippe intellectus illi sermonis patrij, & imperiorum obedientia, officiorumque, quæ dedicere memoria, amoris, & gloriæ voluptas: imo verò (quæ etiam in homine rara) probitas, prudentia, æquitas: religio quoque siderum, solisque, ac lunæ veneratio. Authores sunt in Mauritaniæ saltibus ad quendam amnem, cui nomen est Amilo, nitescente Luna noua, greges eorum descendere, ibiq. se purificantes solemniter aqua circumspergi, atque ita salutato sidere in siluas reuerti, vitulorum fatigatos præferentes, alienæ quoque religionis intellectu creduntur maria transitori non ante naues cōscendere, quam inuitati rectoris iureiurādo de reditu. Visiq. sunt fessi ægritudine (quādo & illas moles infestant morbi) herbas supini in calū iacentes, veluti tellure precibus allegata. nam quod ad docilitatem attinet, Regem adorant, genua submittunt, coronas porrigunt, & cap. 3. Certum est vnum tardioris ingenij in accipiendis, quæ tradebantur, sæpius castigatum verberibus, eadem illa meditationem noctu repertum. mirum maximè & aduersis quidem funibus subire, sed regredi magis utique pronis. Mutianus ter Confusus auctor est, aliquem ex his, & literarum ductus Græcarū didicisse, solitumq. perscribere eius linguæ verbis. Ipse ego hæc scripsi, & spolia Celtica dicaui. Itemq. se vidente Puteolis, cum aduecti è navi egredi cogentur, territores spatio pontis procul à continente porrecti, ut se se longinquitatis æstimatione fallerent, auersos retrorsus isse. & cap. 4. mirum in plerisque animalium, scire quare petantur; sed & per cuncta quid caueant. elephas homine obuio forte in solitudine, & simpliciter oberrāte clemens, placidusq. etiam demonstrare viam traditur. Idē vestigio hominis animaduerso priusquam homine, intremiscere insidiarum metu, subsistere ab olfactu, circūspectare, iras proflare, nec calcare, sed erutum proximo tradere, illū sequenti, nuncio simili vsque ad extremum. & tunc agmen circūagi, & reuerti, aciemq. dirigi: adeo omnium odori durare virus illud. & c. 5. gregatim semper ingrediuntur. ducit agmen maximus natus, cogit ætate proximus. amnem transitori minimos præmittūt, ne maiorum ingressu atterente alueum, crescat gurgitis altitudo. Antipa ter auctor est duos Antiocho Regi in bellicis vsibus celebres etiam cognominibus fuisse: etenim nouere ea. Certè Cato cum Imperatorum nomina annalibus describeret, eū qui fortissimè præliatus esset in punica acie Suram tradidit vocatum; alterum dente mutilato Antiocho vadum fluminis experienti

A rienti reuinit Ajax, alioquin dux agminis semper. Tunc pronūciatum eius fore principatū, qui transisset: ausumq. Patroclum ob id phaleris argenteis, quo maximè gaudent, & reliquo omni primatu donauit. Ille, qui notabatur, inedia mortē ignominie prætulit. Mirus namque pudor est, victusq. vocem fugit victoris, terram ac verbenas porrigit. pudore numquam, nisi in abdito coeunt mas quinquennis, fœmina decennis. Inuitur autem biennio, quinis (ut ferunt) cuiusque anni diebus, nec amplius. Sexto perfunduntur amne, nō ante reduces ad agmen. neq; adulteria nouere, nullaue propter fœminas inter se prælia, ceteris animalibus perniciofa. non quia desit illis amoris vis: namque traditur vnus amasse quandam in Ægypto corollas vendentē. ac nequis vulgariter dilectam putet, miretur gratā Aristophani celeberrimo in Grammatica. alius Menandrum Syracusanū incipientis iuuentæ in exercitu Ptolomei, desiderium eius, quoties non videret, inedia testatus. & vnguentariam quandā dilectam Iuba tradit. Omnium amoris fuere argumenta, gaudium à conspectu, blanditiæque inconditæ, stipesque, quas populus dedisset, seruata, & in sinum effusa. nec mirum esse amorem, quibus sit memoria. Idem namque tradit agnitum in fenestra, multos post annos, qui rector in iuuenta fuisset. Idem diuinationem quandā iustitiæ. Cum Bochus Rex triginta elephantis, totidem, in quos sauire instituerat, stipitibus alligatos obiecisset, procurstantibus inter eos, qui lacefferent, non potuisse effici, ut crudelitatis alienę ministerio fungerentur. Hæc Plinius, qui deinde cap. 7. refert eorundem certamina edita in theatris à Pompeio, narrans eos irruptionē tentasse, ne occiderent, aut occiderentur ab eis, quibuscum conclusi erant pugnaturos, sed amissa, inquit, fugæ spe misericordiā vulgi inenarrabili habitu quærentes supplicauere, quadam se se lamentatione complorantes, tanto populi dolore, ut oblitus Imperatoris, ac munificentiæ honori suo exquisitæ flens vniuersus consurgeret, dirasq. Pompeio, quas ille mox fuit, pœnas imprecaretur.

Ac talis elephantorum natura ingenij, clementiæ, amoris, fideiq. plena; adde etiam, religionis imitationē præferens. Erit igitur homo in terris, cui magis placeāt serpentes, aut siquæ efferatiores inueniuntur, ac produntur bestię, quàm elephanti? Annon docebunt nos belluæ, quādo à sapientibus nolumus edoceri, obseruantiam promissorum, mansuetudinem, pietatem, iustitiā? Numquid feris erimus, aut esse volumus efferatiores?

Addu-



Adducamus itaque in Vrbes, in domos, in cubicula, in viscera, A  
 si placet alicui, venenatos angues, vulpes, lupos. Quid verò a-  
 gent, si adduxerimus? Nonne nostra, ac nos ipsos enecabunt, di-  
 scerpent, comedent? Quis aspidas elephantis, eorum vitā præ-  
 ponet istorum vitæ? Age doceant nos apes minima animalia,  
 si grandia refugimus, & auersamur.

*Solæ communes natos, consortia tecta*  
*Vrbis habent: magnisq. agitant sub legibus ævum:*  
*Et patriam solæ, & certos novere penates:*  
*Venturæq. hyemis memores, æstate laborem*  
*Experiuntur, & in medium quæsitæ reponunt*  
*Namque aliæ victu inuigilant, & fœdere pacto*  
*Exercentur agris: pars intra septa domorum*  
*Narcissi lachrymam, & lentum de cortice gluten*  
*Prima fauis ponunt fundamina, deinde tenaces*  
*Suspendunt cæras: aliæ spem gentis adultos*  
*Educunt fœtus: aliæ purissima mella*  
*Stipant, & liquido distendunt nectare cellas,*  
*Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti:*  
*Inq. vicem speculantur aquas, & nubila cæli:*  
*Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto*  
*Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.*

Et

*Cecropias innatus apes amor vrget habendi*  
*Munere quamque suo: grandævis oppida curæ,*  
*Et munire fauos, & Dædala fingere tecta:*  
*At fessæ multa referant se nocte minores*  
*Crura thymo plena, pascuntur, & arbuta passim,*  
*Et glaucas salices, casiamque, crocumq. rubentem*  
*Et pinguem thiliam, & ferrugineos hyacintos*  
*Omnibus vna quies operum, labor omnibus vnus.*  
*Mane ruunt portis: nusquam mora: rursus easdem*  
*Vesper ubi è pastu tandem decedere campis*  
*Admonuit: tum tecta petunt, tum corpora curant.*

Fit

A  
*Fit sonitus: mussantq. oras, & limina circum.*  
*Post, ubi iam thalamis se composuere, siletur*  
*In noctem, fessosq. sopor suus occupat artus.*  
*Nec vero à stabulis pluvia impendente recedunt*  
*Longius, aut credunt cælo, aduentatibus Euris:*  
*Sed circum tutæ sub mœnibus Urbis aquantur;*  
*Excursusq. breves tentant: & sæpe lapillos,*  
*Vt Cymbæ instabiles fluctu iactante suburram,*  
B  
*Tollunt: his se se per inania nubila librant,*  
*Illum adeo placuisse apibus mirabere morem*  
*Quod nec concubitu indulgent: nec corpora segnes*  
*In Venerem solvunt, aut fœtus nixibus edunt.*  
*Verum ipsæ folijs natos, & suauibus herbis*  
*Ore legunt: ipsæ Regem, paruosque Quirites*  
*Sufficiunt, aulasque, & cærea regna refigunt.*  
*Sæpe etiam duris errando in cotibus alas*  
*Attriuere, vltroque animam sub fasce dedere*  
C  
*Tantus amor florum, & generandi copia mellis.*  
*Ergo ipsas quamvis angustus terminus æui*  
*Excipiat (neque enim plus septima ducitur ætas)*  
*At genus immortale manet. multosque per annos*  
*Stat fortuna domus, & aui numerantur auorum*  
*Præterea Regem non sic Aegyptus, & ingens*  
*Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes*  
*Observant. Rege incolumi mens omnibus vna est:*  
D  
*Amisso rupere fidem; constructaque mella*  
*Diripuerunt ipsæ, & crates soluere fauorum.*  
*Ille operum custos: illum admirantur, & omnes*  
*Circumstant fremitu denso, stipantque frequentes;*  
*Et sæpe attollunt humeris, & corpora bello*  
*Obiectant, pulchramque patunt per vulnera mortem.*

Hucusque vates, obedientiam, virtutumque omnium mira-  
 bilissima officia in apibus describens. An vllus hic fraudibus,  
 an vllus inter eas infidiis, arrogantia, libidini, vel ambitioni lo-  
 cus?



128 *Imperia pendere à veris virtutib.*

cus? & Macchiauellus vrgebit, impellet homines, & quidē Chri-  
stianos ad violanda religionis, fidei, iustitiæque iura omnia, vt  
aliquid, siue illud exiguum sit, siue magnum consequantur. Vo-  
let igitur nos esse multo stultiores intelligētia præditos, quam  
sint rationis expertia animalia? multo efferatiores esse coget  
ipsis feris homines ad humanitatem natos? Eterit, qui huic  
credat, qui scripta ipsius legat, habeat, non spernat, abijciat, de-  
testetur, comburat, & quantum potest vbique ad nihilum re-  
digat?

Atqui si omnes studeant fraudibus, verba dent in iis, quæ a-  
gunt, conentur pro virili cæteris illudere, imponere, An non dis-  
soluetur omnis hominum cætus, tolletur omne commercium,  
in syluas, in speluncas, in solitudines necesse erit abire? Maxi-  
mè vero id continget, si Macchiauellum secuti mortales nolint  
esse mediocribus contenti, ac nisi summè boni possent euadere,  
pessimi fiunt. Atqui paucissimorum scimus esse, vt ad culmen  
virtutum peruenire, & in eo conquiescere possint.

*Nam Viriys nemo sine nascitur optimus ille est*

*Qui minimis vrgetur* —

Plerique igitur omnes contendunt esse dirissimi, quando m̃a  
suetissimi non valent; rapacissimi, cum liberalitatis apicem nō  
assequantur; lasciuissimi, ex quo in omnibus veritatem non co-  
lunt, denique per quā simillimi bestiis efferatissimis; non me-  
diis, si quidem seruare in singulis rationis lineam non datur.  
Quid igitur humano generi fiet? non amplius erit humanū ge-  
nus. Bibent omnes illa Circes pocula de quibus ille ait Vlyssē  
laudans

*Syrenum voces, & Circes pocula nosti,*

*Quæ si cum socijs latus, cupidusque bibisset*

*Vixisset canis immundus, vel amica lutosus.*

Et ridemus deinde illas, quas Græci vocant, hominum me-  
tamorphosis à Poetis decantatas, veneficia perhorrescimus?  
Nonne hæc execranda veneficia, nonne sunt hæ ipsorum homi-  
num in ipsas feras detestandæ immutationes? Nisi esse opti-  
mus possim, pessimus fiam? Sic quando instar Aquilæ haud li-  
cet videre, oculos eruam mihi? Auertat hoc Deus, cerui, dama-  
rumve celeritatem non assequor in cursu, num pedes, at crura  
mihi præcidam? Ita iubet ingeniosissimus Macchiauellus, lon-  
gissimè

*Aduersus Macchiauellum.*

129

A gissimè sit à nobis iste malus Dæmon, qui hæc illi, aut cuius sug-  
gerere est ausus? Equidem video, qui diuitias appetunt, nisi va-  
leant pertingere ad Cræsi opes, aut Cræsi, haud tamen sua pro-  
fundere in fluuios.

*Dum vitant stulti vitia in contraria currunt.  
Est inter Tanaim quiddam, socerumque Viselli.  
Est modus in rebus, sunt certi denique fines,  
Quos ultra, citraque vetat consistere rectum.  
Non possis oculo quantum contendere lynceus,  
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi,  
Nec quia desperes inuicti membra Glyconis  
Nodola corpus nolis prohibere chiragra.  
Est quoddam prodire tenus, si non datur ultra.*

Ad summum concludamus nihil esse veritate, ac virtute, ho-  
nestius, vtilius, iucundius ad imperia comparanda, tuenda, am-  
plificanda, ad quoduis bonum mortalibus acquirendum, nisi ef-  
se vel ipsis bestiis insipientiores, efferatiores, atque infelicio-  
res etiam maximo nostro malo velimus; Quæ sunt adeo vera,  
vt neque falsitas ipsa stare absque veritate possit, nam quomo-  
do asseuerari potest aliquid esse falsum, nisi verum sit, ita esse?  
Tanta scilicet veritatis est efficacia, vt neque possit esse ali-  
quid, vt idem quatenus est, similiter non sit verum, inuicemq.  
se se ista consequantur. Vt iam conuenire cunctis sciamus ad  
vllum gradum pertingere cupientibus, quod est de Regum Re-  
ge Christo dictum.

Propter veritatem, & mansuetudinem, & iusticiam deducet Psal. 44.  
te mirabiliter dextera tua.



R

osten-



Ostenditur imperium virtutis oppressæ, inermis, destitutæ omnibus auxilijs esse potentius ad homines sibi subiiciendos omnibus in rebus, quàm armatum, munitumq. omni humana potentia imperium. ostenditurq. hoc Christi exemplo, qui imperium suū commisit Romanis Pontificibus, quorum plures, quàm è qualibet sede, Martyres, & Sancti fuerunt, dans vt veritati æternæ contrarium lege vniuersali præcipere non possit. Cap. X.



Ed redeat oratio nunc, vnde initium sumpsit, finisque principio & omnium, & nostro, atque istius denique operis coniungatur. Diximus supra in prohemio, Virtuti Heroicæ, ac Diuinæ imperium summum deberi. ad quam duo pertinent, vt faciat homines virtutibus actiua bea-

titudinis præstantissimos supra humanæ conditionis matam; & iidem sint in contemplatione cælestium toti, ex quibus fit, vt isti longissimè, ac remotissima prospicientes deuoueāt se Christi exemplo ad omnes pœnas excipiendas, ac durissima quæq; exantlanda, vt Deus hominibus placatus inspiret illis diuinitatem, virtutes illas diuinas, aut quas possunt qualitercumque attingere. Nunc igitur nobis aperiantur cælitus arcana nobilissima, & occultissima Christianæ religionis, vt videamus euidentissimè à veris virtutibus, non à simulatis imperia pendere. Christus itaque est is, de quo Sybillæ cecinerunt excipiente Latino poëta.

*Magnus ob integro sæclorum nascitur ordo.*

Et

*Iam noua progenies cœlo demittitur alto.*

Et

*Pacatumq. reget patrijs virtutibus Orbem.*

Idem Christus Deus, & homo non modo fuit diuinissimarum virtutum plenissimus, non enim accepit spiritum ad mensuram Deumq. vidit ex eo momento, quo conceptus est, sed vt generi humano felicissimè foret, illud repleretur iisdem virtutibus, ignominias pertulit acerbissimas, tormēta durissima cruci affixus. quid affecutus est? si posuerit pro peccato, inquit Deus apud Isaiam, animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini

A mini in manu eius dirigetur. Pro eo, quod laborauit anima eius videbit, & saluabitur, in sciētia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo disperitiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est; & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus orauit. Hæc diuinus vates prædicens futurum, vt Christus ob eam causam sit fortium victor, subijciat sibi eos, atque eorum spolia veluti triumphator in bello diuidat, quin Dei volūtas sit in ipsius manu, quod in se susceperit aliorum peccata, iniquitates aliorum portauerit, non curauerit scelestus in cruce reputari, vt eos iustos efficeret, virtutibus scilicet adornaret. in iustitia namque vniuersali virtus omnis continetur, quod ille Græcus dixit.

Εν δὲ δικαιοσύνῃ συλλέβδην πᾶς ἀρετᾶς ἐστὶ

*In iustitia collectim est omnis virtus.*

At vates alter sic inducit Deum loquentem, vt Christus in cælo constituatur ad eius dextram, ponantur inimici ipsius instar scabelli sub pedibus, sceptrum Regiæ potestatis emittatur è monte Sion, ac dominetur in medijs hostibus, confringantur ad eius dextram Reges, & alibi, dentur ei gentes quasi hereditariæ, ac termini terræ, quos possideat. Rursus aliàs, sagittis acutis inimicorum corda transfigat, populi cadant, eius sponsa constituat principes super omnem terram. Verum propius inspiciamus quodnam sibi imperium Christus virtutibus diuinissimis compararit.

In primis igitur hoc est adeptus ob acerbissimam mortē, scruissimos cruciatus, ignominias indignissimas, quas subiit pro genere humano virtutibus diuinis adornando, vt ipse coleretur ab innumeris gentibus toto Orbe diffusis, atque haberetur, vti est, verus Deus naturæ omnino eiusdem cum Deo Patre. Qua in re sunt nobis obseruanda multa, veluti maximè admiranda. Primum verò sit illud, ad huiusmodi honores peruenisse Christum non armis ullis, non opibus, non illecebris voluptatū proponendis, sed veritatis solius professione asserenda, ac virtutis diuinissimæ, qua vitam, & cuncta, quæ habebat, posuit pro hominibus ad diuinitatem perducendis, exultatione, ac splendore. non ita vel antiqui falsò habiti Dij, vel Imperatores, ac Reges. Secundum sit hoc virtutis huius imperium fuisse poten-

R 2 tissi-

Psal. 109.

Psal. 2.

Psal. 44.

Ecl. 3.

Cap. 55.



tissimum; nam compulit innumeros toto Orbe, è qualibet co-  
gnita gente, & quidem sapientissimos, ac potentissimos, vt vi-  
tam, & quæcumque habebant omnia profuderint, nequam vel  
minimam significationem darent, Christum non haberi ab ip-  
sis pro Deo, vel non esse verissima, quæ siue ipse statuit, siue ip-  
sius Ecclesia Pontifici Romano ipsius Vicario adhærens. En  
quanta vis Heroicarum virtutum, quanta veritatis. nihil simi-  
le legimus in tota antiquitate. quid simile? innumera sum no-  
bis Martyrum millia huiusmodi. His similem neque vnum po-  
terit aliquis producere è toto Orbe, è toto æuo, qui pro falsis  
Dijs hæc sit ausus. Tertium sit. Aduersus hanc inermen veri-  
tatem, diuinissimas hæc virtutes Orbis totus, impietas totius  
antiquitatis, fabulosi Dei, simulatio, mendaciumq. modis om-  
nibus, cunctis viribus pugnarunt, sed nihil illius expugnarunt.  
Deiectus est è Capitolio Iuppiter cum Tartarea Deorum, qui  
vocabantur, cæterua, detrusus ad inferos, toto Orbe extermi-  
natus. quam re, quo imperio? Crucis, per quam nobis desi-  
gnatur heroicarum virtutum complexus à Deo per Christum  
descendens in humana pectora Christianæ religionis, catholi-  
cæq. fidei sacramentis delibuta.

Neque verò nobis omittendum Christo dari primas à Maho-  
metanis inter superos post Mahometem, coliq. ab ipsis. Ita vt  
quando Catholicis est tertia pars Orbis subiecta, reliqui verò  
magnam partem Mahometani tenent, non sit homo, cui maior  
sit, aut fuerit honor vñquam in terris, quam Christo. Sed Ma-  
hometani eripiunt Christo crucis vexillum, nō enim volunt eū  
cruci affixum, reputant id contumeliosum. Atqui hic excellen-  
tissima virtus, an non laudatur.

*Codrus pro patria non timidus mori?*

Et

*Non ille pro caris amicis,*

*Aut patria timidus perire?*

Christus obiit pro inimicis ipsis, atrocissima pro cūctis mor-  
talibus haud veritus est subire. cuius deinde exemplum sunt  
innumeri secuti, ex quo sæclorum magnum ordinem numera-  
mus ab integro post eius ortum, post annos mille quingētos no-  
naginta tres.

Imperium porrò suum Christus bona diuina, atque animi no-  
stri intima potissimum complectens, simulatq. ad superos ascē-  
dit

A dit Petro, ac successoribus eius Pontificibus Romanis commi-  
sit, vt signo de Petri cathedra aperuimus. hoc Romæ fundatum  
tam latè semper pertinuit, vt Tertullianus dixerit atate sua po-  
mæria ipsius longius protensa, quàm Romanæ ditionis ad ex-  
terna bona spectantis. ob id Prosper dixit, nihil non ab ipso pos-  
sibile.

*Sedes Roma Petri: quæ pastoralis honoris*

*Facta caput mundi, quidquid non possidet armis*

*Religione tenet.*

B Quin hoc fuerat longe ante à Sybillis prædictum. sic enim va-  
tes Latinus de Christo quasi iam tum nascente.

*Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum*

*Desinet, ac toto surget gens aurea mundo*

*Castæ faue.*

Quid verò ait auream gentem toto mundo nascituram, non  
aliqua ipsius parte? cur auream? nimirum, quod tantæ erit, ac  
tam perfectæ virtutis, vt nullus ignis tormentorum quidquam  
possit quodammodo in illa impuri, atque alieni reperire, exco-  
quare, & abstrahere. addit toto mundo. Nam licet quoad ex-  
terna bona plurimi populi obediant Regibus aliis; quoad ani-  
mas tamen Romano Pontifici: quin etiam quoad alia quæcum-  
cumque illa sint, quatenus necessario ad prima referuntur.  
Dedit autem sedi huic diuinissimum priuilegium. licet enim  
Pontifex esse ipse malus possit, fari, scribere, & efficere flagitio-  
sa, & falsa. numquam tamen aut potuit, aut poterit ille vniuer-  
sali lege, qua cunctos Christianos obliget, sancire aliquid con-  
trarium veritati æternæ immutabilium rerum, quod aduersus  
hæreticos nos multis confirmamus vnâ cum sapientissimis, ac  
doctissimis viris signo de Petri cathedra, & sanctionibus vni-  
uersalium conciliorum.

Et quamuis ad imperium tantum pertingens ad cæli supre-  
ma culmina sint indignissimi quandoque euecti; nihilominus  
sedes hoc priuilegio munita perstitit. Neque verò defuerunt  
illi sanctitate eminentissimi Pontifices, quin nulla  
sedes est, quæ tot Martyres, tot innocentia, miraculisq. illustres  
Antistites protulerit, quot Romana. Amplius plurimæ sunt,  
atque amplissimæ regiones, quæ non tot edidere Præsules hu-  
iusmodi, quot ista. nam viginti septem numerantur ex illa, qui  
cru-



crudelissima perpessi, vt veritatem proderent, potius vitæ de-  
trimentum, rerumq. omnium humanarum facere voluerunt,  
quam leuissimum signum dare abiectæ virtutis. Præter hos au-  
tem recensentur quadraginta quinque Pontifices Sanctorum  
numero adscripti, virtutibus præditi omnino cælestibus. Eos  
nos singillatim nominauimus signo de prudentia politica 32.  
cap. 3. lib. 8. de signis Ecclesiæ Dei. ac plures quidem forent, nisi  
mos esset, vt cælitibus haud adnumerentur, nisi qui miraculis  
florent. at hæc non adeo nunc sunt frequentia, quod signa den-  
tur infidelibus, ait Paulus, Pontifices autem Romani iam degūt  
inter fideles, quando Romani in primis, atque Itali sunt maxi-  
mè Christiani. Cum fuerit itaque de imperio Christi prænun-  
tium & illud.

*Ipse Deum vitam accipiet, Diuosq; videbit  
Permixtos Heroes, & ipse videbitur illis.*

Christus noua progenies cælo demissa, accepit cælitum vi-  
tam virtutibus scilicet altissimis excultam, contemplatione  
æternorum fulgentem, illamq. ad mortales adduxit. His tot  
Romani Pontifices eminuerunt, & innumeri sectatores, vt ostē-  
demus, eorum subiecti imperio. Sed quis hic possit enumerare  
quot, ac quantis semper tempestatibus inconcussa Pontificum  
Romanorum sedes, quasi Petra firmissima aduersus irruentes  
fluctus, fuerit impetita? Numquam cessere illi, vbi de religione,  
ac veritate æternorum stabilienda est actum. Sed his de rebus  
infra commodiori loco. satis nunc sit dixisse. hæc duo diuinitus  
data imperio Romani Antistitis, vt numquam possit nisi veri-  
tatis edicta promulgare Christianis omnibus credenda in iis  
quæ sunt vniuersi modi semper, atque immutabilia, neque pro tem-  
porum, locorum, rerumq. aliarum diuersitate variantur, si-  
cut etiam Deus leges, ac præcepta variare solitus est. Eadem  
sic abhorret à mendaciis, vt decreuerit nullas ob causas vnquā  
licere alicui mentiri, quamuis certo sciret inde omnium maxi-  
ma bona secutura. interdū fas est quidē veritatem verbis ambi-  
guis operire, quæ sensibus nostris respōdeant, quamuis non au-  
dientiu, nō tamen id semper licet. vbi solum quis importunè in-  
terrogatur & magnum damnum crearetur e veritatis aperta  
professione aut in simili causa. quod tamen non admittitur,  
vbi de contemptu diuino agatur, ac religionis assertionem; tunc  
enim palam detegenda, ac vita etiam ponenda. Quamuis igi-  
tur


A tur multi permiserint officiosa mendacia, & in his Plato lib. 3.  
de Rep. melioris notæ Philosophus, Augustinus tamen duobus  
libris contra Cresconium secus tradidit, atque ita Innocentius  
Tertius definiuit. cap. 3. de vltis. At veritas est animi præci-  
puum, potissimumque bonum, pertinens ad intelligentiam no-  
stri supremam, diuinissimamque partem, sic enim vocauit, vt  
in prohemio dicebamus, Aristoteles. quin bonum stare haud po-  
test, nisi sit etiam verum, mutuoque hæc se consequuntur. Hinc  
etiam Romanus Pontifex nemo hæreticus fuisse conuincitur,  
vt alibi probauimus. Denique nulla episcoporum, vel aliorum  
series fuit, quæ tot sibi in eadem potestate succedentes habue-  
rit vel martyres, vel Sanctos. Sed adhuc maiora inspicimus  
vt appareat illud iure à Sybillis præsignificatum.

*At simul Heroum laudes, & facta parentis*

*Iam legere, & quæ sit poteris cognoscere Virtus.*

Antea namque ignorabatur, quæ virtus foret, quoad pluri-  
ma, & maxima ignorabantur facta Omnipotentis atque æter-  
ni Patris, ignorabantur genuinæ Heroum laudes. Nunc è sede  
Petri per merita, ac munera Christi in illa imperantis hæc om-  
nia sciuntur, cum sit illa tamquam Sol in conspectu Dei, & sicut Psal. 88.  
C Luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis.

*Exemplis eorum, qui referuntur in superos à Pontificibus Roma-  
nis, ac bonis acquisitis per omnes terras Septemtrionis,  
imperijsque, ac regnis earum concluditur Virtutem  
veram cunctis præfesse. Cap. XI.*

D  Vm sit itaque admirabilissimum, quod fieri po-  
tuerit, vt Christus ad tantum religiosi cultus  
honorem peruenerit, tantum sibi in animos  
imperium vendicauerit, quo nullum maius;  
quando nullis armorum terroribus homines  
ad id inflexerit, adduxerit, compulerit. quin  
potius omnibus modis fuerit aduersus ipsum  
pugnatum, proposuerit ipse omnia dura, damnosa, acerbata  
in terris gregi suorum. sequitur aliud simile. Cælo cōsecrabantur  
prius, quinam? Bellica fortitudine præstantes, voluptuaria mul-  
ta reperientes, & quæstiosa, sed iidem cōtaminati plerumque  
vitiis



vitiis infandissimis. Nam quis ignorat, quæ de Ioue, Saturno, Marte, Venere, Mercurio similibusve narrantur? Meliores credo Heroes. Num forsan Hercules cum suo Hyla, & Deinaira. num Liber ebriofus? Aegyptij forsan cum suo Anubi, caepe, alio, & portentosis huiusmodi. Romani cum Romulo latrone, fratris occisore, aut cum Diuis illis Octauiano, Faustina, Antinoo, & similibus. Vere igitur cecinit Sybilla, nam quid sibi voluerit Virgilius, forsan in quæstionem reuocari posset, post ortum Christum poteris homo legere, & cognoscere, quæ sint Heroum laudes, quid sit Virtus. quæ sint Dei, non hominum, Dæmonumve facta.

Aspice quibus Pōtifex Romanus Christi Vicarius, Petrique successor decernat cælestes honores, ascribat cælitibus, vt videas quod sit imperium virtutis in animos hominum, quoad bona maxima in terris, num forsan Pontifices Romanos, à quibus aliquid acceperit beneficij, fuerit Episcopus factus, aut Cardinalis? vt verbi gratia Octauianus in Diuorum numero posuit Cæsarem auunculum, Antoninus Pius Adrianum, aut alter Antoninus Philosophus Faustina multis adulterij criminibus, quæ ille haud ignorabat, obnoxia, quamuis sapientiam maximam profiteretur. numquid hoc egit Vicarius Christi? nihil minus. nos enim, si quis è Papis est flagitiosus, improbamus, arguimus, facta ipsius rescindimus, irrita, ac nulla facimus, quæ non sunt æternæ veritatis lege vniuersali sancita, In his enim labi haud potest. Referuntur in superos illi, qui reuera humanarum rerum despicientissimi, virtutibus diuinis excellentissimi, toti fuerint in cælestibus meditandis, atq; humano generi, quæ datur, procurandis, quamuis alioquin isti fuerint abiectissimi, ac nullius habitus quandoque inter homines pretij. Hos fouit, amplexata est, extulit ad cælum sedes Petri, tamquam faces ardentissimas, astra in mediis tenebris fulgentia, præstendit mortalibus in nocte vitæ huius errantibus. Iam nunc igitur homo cognoscere poteris, quæ sit virtus, quæ sint Heroum laudes, quæ facta Supremi Parentis; sic enim Christus illum rogauit. Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Vt igitur Pontifex aliquis Romanus per se non polleat sapientia, quando tamen est in eo solio, diuinitus hac adornatur, vt aliorum recta & facta, & dicta quoad vniuersalium decretorum promulgationem, & executionem, sanctionibus suis amplectatur.

Ioan. 17.

ΕΥΤΟΣ

Α Ουτος μὲν πανάρισος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσει  
Φρασάμενος τὰ κ' ἔπειτα καὶ ἐς τέλος ἦσιν ἀμείνω  
Εὐδλός δ' αὖ κακείνος, ὃς εὖ εἰπὼντι πίθηται.  
*Hic quidem optimus, qui per se omnia cognoscit  
Intelligens sequentia, & quæ in fine futura sunt meliora  
Bonus autem rursus & ille, qui bene momenti paret.*

Quos igitur superis ascripsit Pontifex Romanus, eiectos ab aliis excepit, despectos euexit? En Augustinus ille Magnus Latinorum lumen, quem reddidit Italia veritati. En Benedictus Romæ educatus. En quot eum sidera quasi Lunam circumstāt, aut quasi à Sole lucem mutuata noctem vitiorum fugant. En Franciscus prope Romam natus, en quasi Regem, quot, ac quanti eum Proceres nobilissimi sequuntur. An Brunonem Carthusianorum Parentem præteribimus, qui in Calabria vixit, ac decessit? An Dominicū, qui suis Hispaniis relictis in Italiā venit, & Bononiæ defunctus est? An Ignatium Loiolam cunctis prope in locis malè habitum, siue vndique expulsū, sola verò in Vrbe confidentem? An plurimos huiusmodi ordinum religiosorum parentes, Franciscum Paulanum, Bernardinum Senensem, Romualdum Rhauennatem Camaldulensium auctorem Laurentium Iustinianum Canonicorum suorum, Albertum, & Angelum Carmelitarum? Quis hic enumeret innumeros horum sectatores præclarissimos, ac verè Heroicis gestis ex omni parte fulgentissimos. numera si potes cæli stellas, arenam maris. En quantum virtutis imperium. Numquid isti illecebris homines in sua castra traxerunt, an bellorum, pœnarum uel vllis minis, an mercaturæ, vel artium quarumlibet quæstibus? durissimas suis isti leges edixerunt. solo virtutum splendore à delictis, ab opibus, ab honoribus summis, à regnis, & imperiis plurimos ad asperum viuendi genus adduxerunt; vt verè dici de illis queat, & eorum virtute.

*Quisnam igitur liber? sapiens: sibi qui imperiosus:  
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrene  
Respondere cupidinibus, contemnere honores  
Fortis, & in seipsototus teres, atque rotundus:  
Externi nequid valeat persæpe morari.  
In quem manca ruit semper fortuna.*

S

Quid



Quid hic exercitus immanes mulierum, Virginumq. commemoremus? Quot Roma produxit ex eis Martyres, quot Italia, Europa, Africa, Asia, ac cetera nostris etiam temporibus regiones, quæ nulla tormenta exhorruerunt, nulla non superarunt, ut veritatem tuerentur, & inuicto mentis, corporisq. sui robore posteritati commendarent? De Romanis extat liber eruditus, & pius Antonij Gallonij presbyteri nostræ Congregationis à quo habemus, & alium quo continentur atrocissima tormentorum genera, quo nostri excruciantur ab impijs, & adhuc excruciantur in Anglia, ac multis Aquilonarium regnorum locis. Hoc scilicet imperium virtutis, cui Christi nomine Præsides in terris Pontifex Romanus, à vitiosis honesta, à vituperandis laudabilia distinguens vniuersalibus sanctionibus, in quibus errare non potest, ut in ceteris quandoque secus euenire concedamus.

Ab his porro non modo obscenissima inferorum, sic enim vocandi, ne dicamus falso cum priscis illis, Deorum monstra, & sacra depulsa, Ab his efferi mores gladiatorum, ac leges multæ atroces Romanorum sublatae de quibus alibi à nobis est fufius dictum signo de gentibus efferis ad humanitatem perductis vigesimo octauo, libro septimo cap. 4. sed hæc minora in Vrbe, nisi sanguinem eorum bibere soliti essent in theatro in conspectu omnium, quicumque voluissent, seruos caueis includere, qui pugnarent cum bestiis, eosdem, liberosq. etiam proprios impune pro libito interficere; creditores, qui soluendo non essent plumbatis cadere. quæ sanè omnia in moribus posita fuisse cū multis alijs toto Orbe Romano aperuimus lib. 11. cap. 14. de antiquo, & nouo Italiae statu. Nunc age ad loca Septentrionis supra Rhenum, Danubiumq. posita, quæ conficiunt duplum reliquæ Europæ, accedamus, intueamurq. non modo adducta per Catholicæ religionis seminatores, ac studiosos animi excellentissima bona, sed corporis atque externa.

A Francis adhuc ætate sua vult Procopius lib. 2. de bello Gothico solitos homines sacrificari. idem facitatum à Nothmanis, ac Danis placet Diethmaro lib. 1. ab Anglis Sidonio ep. 6. lib. 8. & à Lithuanis Cromerio lib. 15. quin scribit Radeuicus lib. 3. cap. 1. à populis Polonicæ genti finitimis prope Balthicum mare consueffe comedi carnes humanas.

Quis ista depulit? ex quo tempore depulsa? nisi ex quo Romani Pontifices eò misere suarum legum sectatores virtutibus diui-

A diuinis eminentissimos ad ea loca Christianæ pietati concilianda. ut latè ostendimus signo de decenti felicitate Catholicorum 93. lib. 22.

Litterarum porro nulla erat olim cognitio gentibus cunctis supra Rhenum, Danubiumq. sitis, quod Tacitus libello de moribus Germanorum testatur.

Populis nullæ olim certæ sedes erant, ut idem scribit. & Strabo lib. 7. solo lacte, ac pecore vivebant, quod Cæsar lib. 4. Mela. 3. cap. 11. tradunt. nullæ illis domus, ut refert, præter eosdem, Seneca libro de gubernatione mundi. Herodianus in Maximino.

B Quin Iornandes genere siue Alanus, siue Gothus, qui temporibus Iustiniani vivebant, ita scriptum reliquit libro de rebus Geticis cum de Britannis loquitur. inculti æquæ omnes populi, Regesq. populorum.] & mox. Virgeas habitant casas, communia tecta cum pecore, syluæq. illis sapè sunt domus] de ceteris autem nationibus supra Germaniam sitis, carnibus tantum viuunt.] & rursus, hi omnes exesis rupibus, quasi castellis inhabitant ritu belluino. Cæsar certè lib. 5. & Strab. 4. volunt Vrbes à Britannis vocatas ipsa nemora, quæ fossis circumdarentur, atque arbores suis locis, spatiisq. discclusas haberent, quæ implexis ramis homines subtus habitantes ab imbribus, ac niuib. qualitercumque tuerentur. & quamuis Romani condiderint, deinde aliquas in Britania colonias, euerterunt illas Angli, reditusq. factus ad antiquas solitudines, & vastitates.

Iam verò solum fuisse infecundum, sterilemque terram Germanis olim testantur Seneca Hispanus libro de gubernatione mundi, Mela item Hispanus lib. 3. cap. 2. Herodotus Halycarnasæus lib. 4. Strabo Cappadox. 7. Procopius Cæsariensis Syrus oratione secunda de ædificiis Iustiniani.

D Quis autem nunc credat, quod dicturi sumus, nullas illis fodinas auri, argenti, ferri, aut æris fuisse? argentum, inquit Tacitus, & aurum propitij an irati Dij negauerint, dubito] & mox. ne ferrum quidem superest.] quamuis itaque forent aliqua terris illis inclusa metalla, fodinæ quidem non erant.

Iam tot erant olim alienarum gentium in Germania loca irruptiones, ut signo 93. c. 7. enumerauerimus vigintiquatuor intra annos mille ducentos, cum tamen ex quo missi sunt à Romano Pontifice, qui regiones illas Christo conciliarent per annos octingentos, ac plures, nullæ potuerint in eas irrumpere.

In vniuersum verò quanta feritas esset, & quam belluina vi-



ta Hunnis, Neuris, Gelonis, Agathyrsis, Melanchlanis, ac cæte-  
ris Sarmatiæ, Septentrionis, & circa Istrum habitantibus popu-  
lis cognoscere possumus ex Ammiani lib. 31. Procopij 2. & 3. bel-  
li Gothici. Helmoldi 1. cap. 5.

Admirandum sit itaque tantum fuisse virtuti Christianæ po-  
testatem, tātum fuisse illius imperium, vt effecerit intra annos  
prope ducentos, in regionibus supra Rhenum, Danubiumq. si-  
tis, postquam misit eò suos Pontifex Romanus, quod tota anti-  
quitas haud potuit intra tot annorum millia ab Orbe condito.  
En igitur, vt adsint nobis Heroicæ virtutes, vt ab ijs non modo  
pendeant animi bona, sed corporis, ac reliqua externa. Nam  
quis ignorat quāta sit humanitas Borealibus populis, nisi exue-  
rint eorum multi illam, postquā defecere à fide Catholica? quis  
ignorat quanta sit omnium disciplinarum, artiumq. omniū no-  
titia, & studia? quot ab ijs sint inuēta ad humani generis vsum?  
quam pulchræ, admirandæ, frequentes sint Vrbes, sint fœcundæ  
regiones? quot, ac quam fructuosæ auri, argenti, ferri, æris, om-  
niumq. metallorum fodinæ? Virtutis itaque veræ, & catholicæ  
imperio intercedere pro feritate humanitas, pro belluinis mo-  
ribus diuini, pro ignorantia cognitio, pro solitudinibus, ac va-  
stitatibus Urbium celeberrimarum frequentia, & magnificen-  
tia; pro sterilitate fœcunditas; pro inopia diuitiæ successerunt  
tam breui temporis interuallo.

Sed numquid hic finis? edantur quæso Hungarici, Bohemici,  
Polonici, Suetici, Danici, Scotici, Anglici Reges ante dissemina-  
tam per ista loca religionē Christi à studiosis Pontificiæ sedis.  
relegantur euenta omnia istarum regionum sursum versus sæ-  
cula retracta repetendo. ac videbimus numquā fuisse in huius-  
modi terris adeo diuturna nobilia, potentia, magnificaq. regna  
ab ortu mundi vsque ad illud tempus, quo Pontifex misit suos  
ad propagandū Christi cultum in eis, vel ex quo obediunt Pon-  
tifici Romano.

Nam quid dicemus de imperio Germanico? An aliquid vni-  
quam vel momento temporis fuit in Germania à mundi fabri-  
catione per tot annorum millia simile imperio, quod nacta est  
ex quo virtutes à Romana sede præscriptas, normamq. legum  
inde emanantiū sequitur? En igitur, vt imperia pendeant à ve-  
ris virtutibus non simulatis, portendanturq. non modo ad ani-  
mi bona, sed omnia quæcumque corpus, ac nos ipsos illa circun-  
stant.

A. Imperio Catholicæ virtutis loca inhabitantium zonarum facta  
sunt post ortum Christi habitabilia, similiter Indiarum Oc-  
cidentalium loca exulta, & ambitus Orbis terra-  
rum circumdatus potestate eiusdem.

Cap. X I I.



B. ED numquid hic finis erit in explicando impe-  
rio veræ virtutis? totius telluris bona ab illo pē-  
dent. Age hoc valde mirabile expendamus, &  
ante oculos legētiū ponatur à nobis. antiqui  
omnes tradiderunt, veluti exploratissimū, loca  
omnia zonæ torridæ, ac duarum, quæ frigida vo-  
cantur ad Austrum, Boreamq. positæ, fuisse semper inhabitabi-  
lia. Nunc est compertissimum tres hæc zonas habitari. Quo-  
circa multi volunt antiquos deceptos, neque illis fuisse cognitā  
conditionem illarum. Id sanè est ridendū quod latissimè osten-  
dimus lib. 15. cap. 18. de Signis Ecclesiæ Dei. nam per annos bis  
mille quadringentos, & amplius potentissimi Reges, celebra-  
rime nationes, Philosophi, Historici, Geographi, viriq. curiosissi-  
mi acceperunt ad ea loca, & vñ compererunt, esse pleraq; om-  
nia inhabitabilia. quin ij, qui scrutati sunt hæc, omnium celeberrimi  
Reges fuerunt, Osyris, Rhames, ac Sesostris, Nechao Ægy-  
ptiorum Reges; Cambyfes, ac Xerxes Persarum; Alexander, ac  
Ptolomæi Græcorum; Cæsar, Octavianus, Neroq. Romanorū;  
Nationes etiam celeberrimæ id rimatæ sunt Hebræi, Tyrij, Car-  
thaginenses: Geographi præstantes eò se contulerunt, vt rem  
perspicerent Dalion, qui vltra Meroem zonæ torridæ Urbem  
progressus est, Simonides minor, qui in Meroë commoratus est  
quinquennio, Timosthenes clāssium Regis Philadelphi præfe-  
ctus, Iuba Mauritaniæ Rex, & alij, quorum meminit Plinius lib.  
6. cap. 29. à quibus omnibus est constantissimè scriptū loca om-  
nia zonæ torridæ plerumque deserta. Idem tradunt Herodotus,  
ac Polybius, qui ad illa loca acceperunt.

In primis verò Osyris Ægypti Rex anno propè centesimo  
antequam Iacob in Ægyptum descenderet, copias innumeras  
secum ducens, ad Istri fontes, & Oceani fines peruenit, & loca  
deserta reperit, vt colligitur ex inscriptione, quam fuisse in co-  
lumna Nysæ montis Arabiæ tradit Diodorus lib. antiquitatum  
1. & ex ijs, quæ refert Lucanus ostendemus. Idem conqui-  
uit



uit Rhames, vt habetur ex Ammiani Marcellini lib. 17. Strabonis 17. Cornelij Taciti 1. A

Classis porrò Salomonis traiecit ostia maris Rubri media inter æquinoctialem circulum, & tropicum Cancrī omnium calētissima. Tyrij similiter Africam totam circumnauigarunt, & in locis, quæ possent habitari colonias excitarunt, reliqua zonæ torridæ subiecta prodiderunt esse deserta. sæpius verò illa circumierunt, vt habet Herodotus lib. 3.

Sesostris eodem modo illa adiit, qui regnante Roboam viuebat, & Nechao Reges Ægypti, & viderunt habitari non posse, vt habemus ex Herodoti libro & Strabonis 16. Quin olim Reges omnes Ægypti Thæbis domicilium fixerant, vt ex Herodoti lib. 2. & Strabonis 17. discimus, & indicat Homerus Iliados 1. & Odysseæ 4. neque distabant à zona torrida, nisi milliariis centum quadraginta plus minus. & constanter, vbi id inquisissent, affirmarunt, non esse humanis habitationibus aptas regiones. Sed qui fieri potest, vt antiqui perspectissimas istas oras non haberent, cum Mennonis Vrbs Regia sedes Æthiopum fuerit in ipso zona torrida? Strabo in illa fuerit, vt apparet lib. 17. Herodotus illa loca peragrauerit, vt est eius lib. 2. & 3. & prodiderunt omnes tamen non posse ibi mortalium sedes haberi? B

Cambyfes peruenit vltra Meroëm, quæ intercipitur media ab Æquinoctiali circulo, & Cancrī tropico, tantumq. sterilitatis, ac solitudinis vbique inuenit, vt innumeris amissis, regredi coactus sit, quin suorum quosdam necauit, vt eorum carnibus vesceretur. quod Herodotus lib. 2. & Strab. 17. narrat. Xerxes cum sciret ob huiusmodi expeditionem Cambyfis mediterranea deserta, misit Saraspem, qui à freto Herculeo Austrū versus Africam circumiret, is omnia feris solitudinibus horrentia cum suis inueniens, neque posse inclemētiam locorum ferri retro rediit, vt habet Herodotus lib. 4. C

Hanno Carthaginensis Africam circumlustrauit, & adhuc eius commentarij leguntur. scripsitq. zonæ torridæ regiones exustas calore, qui consistere haud sineret homines in ijs locis. meminit horum Plinius lib. 5. cap. 1.

Herodotus fuit in ipsis Thæbis, refertq. libro secundo narrationem Regis Ethearchi Hammoniorum referentis quosdam perscrutatos ea loca, & vsu edoctos non admittere commodas hominum sedes.

Alexander Magnus idem voluit cognoscere, idemq. percipit. D

A pit. quocirca Aristoteles plurimis in locis asseuerat, quod dicimus.

Ptolomæi classem viginti nauium plurimis hominibus instructam mittebant cōtinentem, qui peruadentes zonam torridam retulere idem. quod Strabo refert lib. 17.

Cæsar eadem desiderio incensus haud dissimilia perspexit. quamobrem sic ad illum sacerdotes Ægypti, vt libro decimo canit Lucanus.

*Quæ tibi noscendi Nilum Romani cupido est,  
Hæc Pharus, Persisq. fuit, Macedumq. Tyrannis.  
Nullaq. non ætas voluit conferre futuris  
Notitiam. sed vincit adhuc natura latendi.*

*Summus Alexander Regum, quem Memphis adorat,  
Inuidit Nilo, misitq. per vltima terræ  
Æthiopum lectos, illos rubicunda perusti  
Zona poli tenuit. Nilum videre calentem.*

*Venit ad occasum, mundi que extrema Sesostris  
Et Pharios currus Regum ceruicibus egit:*

*Ante rāmen vestros annes Rhodanumq. Padumq.,  
Quam Nilum de fonte bibit. Vesanus in ortus.*

*Cambyfas longi populos peruenit ad æui,  
Defectusq. epulis, & pastris cæde suorum*

*Ignoto te Nile redit.*

Syenæ ciuitas est in oris torridæ Zonæ sita: in ea Romani posuerunt aliquot militum cohortes, quæ præsidio forent, aduersus incursationes Æthiopum. In ea fuit Strabo, vt scribit lib. 17. Cornelius Gallus Poëta celebris, qui peruasit intima Æthiopie cum Romanis militibus, amicus fuit Virgilij, & Horatij, ac nisi omnes cæcos dixerimus, videre, ac prodidere omnia deserta, neque domos hominum ferentia. Hinc ille:

*Pone sub curru nimium propinqui  
Solis in terra domibus negata.*

Octavianus Imperator eadem voluit percipere. misit Petronium cum multis militibus. qui longissimè progressus octingentis septuaginta milliariis vltra Syenem retulit exusta omnia, ac deserta ob intolerandi caloris æstum. vt constat è Plinio lib. 6. cap.



# 144 Imperia pendere à veris virtutib.

6. cap. 29. Idem voluit & Nero experiri, & idem comperit, quod ille scribit; quin ibidem tradit insulam Meroem, quæ includitur Zona torrida, dedisse armatorum quondam ducenta quinquaginta millia, aluisse artificum quadringenta millia. ac dicemus istos omnes fuisse cæcos, qui referrent omnia deserta, neque ab iis sciretur an habitari possent circumstantes terræ, cum prisci omnes affirmauerint non posse in illis homines commorari?

Quærimus igitur huius admirabilissimi euenti causam, cur postquam Christus est natus, ad eas regiones accedere Apostoli, in ijs Christi religionem dissimularunt, Matthæus in Africa, Thomas cis & ultra Indum, ac post hos alij, commodas mortaliū sedes admiserunt. An non hoc imperium diuinæ Virtutis, quod vniuersitati rerum, naturæ ipsi imperat? An non hoc Sybillæ prædixerunt alloquentes ipsum Christum exemplar omnium virtutum fulgentissimum.

*Aggredere, ò magnos, aderit iam tempus, honores*

*Cara Deum soboles magni Iouis incrementum.*

*Aspice conuexo nutantem pondere mundum,*

*Terrasque, tractusque maris, calumque profundum*

*Aspice venturo latentur vt omnia sæclo.*

& ante

*At tibi prima puer nullo munuscula culta*

*Errantes hederas passim cum baccare tellus*

*Mixtaque videnti colocalia fundet acantho.*

rursus.

*Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores:*

*Occidet & serpens, & fallax herba veneni*

& paulopost

*Molli paulatim flauescet campus arista,*

*Incultisque rubens perdebit sensibus vna,*

*Et dura quercus sudabunt roscida melle.*

An non eadem cecinerunt diuini vates? lætabitur deserta, & inuia, clamat ille, & exultabit solitudo, & florebit quasi filiū: germinans germinabit; & exultabit lætabunda, & laudans: gloria Libani data est ei: decor Carmeli, & Saron: ipsi videbūt gloriam Domini, & decorem Dei nostri.]

Isa. c. 3. 94

Ac

# Aduersus Macchiauellum 145

A Ac veluti in Septentrione sunt à Christianis excitata nobilissima regna, & imperia, qualia non fuerunt ab ortu mundi, postquam Christum cæperunt agnoscere, Pontifici Romano obedire; sic in istis Africæ locis. de quibus nos alibi fusius. ea parent Regi, quem nonnulli vocant presbyterum Ioannem, cuius legati præstiterunt obedientiā Clementi Septimo, & alijs cuncti valde Catholici fuerunt, vt ex Aluaresij scriptis habemus, Oforij, & aliorum. nunc multa in eorum legibus emendanda constat.

B En quò se porrigit Christi virtus, Christi imperium. quid verò hic dicemus de Indiis Occidentalibus, & Orientalibus? Nūquid non prius in illis omnia squallebant, atque horrebant? Quid boni quæso erat inter incolas earum regionum, siue animum, siue corpus, siue externa spectes? Nulla ijs ars, nulla disciplina, littera nulla. Pudet referre obscenissimos, & omnium dirrissimos mores. Instar omnium sit illud, quod operis huius prohemio retulimus. plerisque gentibus consuetudinem fuisse ex ancillis susceptos filios ad adultiorem ætatem perducere, vt pinguiore effecti occiderentur, coquerentur manibus parentum, dentibusq. eorumdem (dictu horrendum) comederentur.

C Sic itaque Christi, ac Pontificis Romani imperium latissimè in omnes se se oras protendes ab Aquilone extremo in Austri supremas oras, circumplectens ob imperij Lusitanici, & Castellani amplitudinem telluris ambitum totum ab ortu in occasum deuehens secum bona omnia palam cunctis facit à veris virtutibus cuncta pendere, non à simulatis. per eos autem Reges, & Imperatores hæc ad exitum perducta, qui Pontifici Romano obsequentes, crucis Heroicas, germanasq. virtutes designantis vexillum diuinitus acceperunt, quod cum notauerimus cap. decimo libri de robore bellico clarius adhuc infra à nobis aperietur.

D



T

Nullam



Nullum regnum, vel sedes tam potentes, & aduersos, perpetuosq. A  
sensit hostes, vt Pontifex Romanus, aduersus quem pugnarunt  
Imperatores gentiles, heretici, schismatici, contumaces, ac fri-  
gida pietatis Principes. & tamen quò magis est impetitus eo]  
magis contrarium contigit eius, quod conabatur illi, maioresq;  
fecit progressus in humanarum rerum iurisdictione; ex qui-  
bus fit imperia pendere à veris virtutibus, non simulatis.  
Cap. XIII.



B **S** I Q U O D vñquam fuit imperium in terris, ad-  
uersus quod omne propè dixerim genus hostiũ  
conspirarit, illud est Christi, illud est eius Vica-  
rij Pontificis Romani. nam veluti signum posi-  
tum fuit, in quod iacula emittantur. & tamen  
quo maioribus est agitata tempestatibus, eò  
potentius, ac pulchrius ad extremum post aliquot ætus  
emerfit.

*Daris vtilex tonsa bipennibus  
Nigra feracis frondis in Algido  
Per arma, per cades ab ipso  
Sumit opes, animumq. ferro.  
Merses profundo pulchrior euenit;  
Luctere, multa prouet integrum  
Cum laude victorem, geretq.  
Proelia coniugibus loquenda.*

C Videamus id esse verissimum. cognoscamusq. imperia pen-  
dere à cruce, à crucis doctrina, à veritate, quam sancit Pontifex  
Romanus.

D Tercentũ ferè totos annos Romani Imperatores nihil aliud  
conati sunt omnibus, quibus poterat modis, quàm exscindere à  
fundamentis Christianam religionem, Pontificiamq. sedem,  
viginti quatuor, & quidam numerant, Papas occiderunt. Num  
tot, ac tantis conatibus quidquam profecere? cõtrarium pror-  
sus euenit. Audian ita sit, atque obstupescere. & in primis reuoca  
in memoriam Pontificibus nulla arma, nulla auxilia adfuisse  
humana.

Primo

A Primo igitur loco cuncti Imperatores plerumq; fuerunt oc-  
cisi, vt ostendimus supra lib. i. cap. i. & quidem sapius à suis aut  
domesticis, aut militibus, miserabilemq. in modum. B  
Secundo post obitum similiter plerique infamia notati fue-  
runt, summis ignominias, & cõtumeliis onerati, quamuis nihil  
non cõtenderent, vt pro Diis haberentur, at Pontificibus, quos  
isti occiderunt, cælestes habiti sunt, atque habentur adhuc ho-  
nores post obitum toto Orbe Catholico per annos iam mille  
quingētos, paucioresuē, aut plures, prout scilicet vel remotius,  
vel propius ab ætate nostra fuerunt interfecti.

B Tertio nullus Imperator ex illis ad nepotes agnationis suæ  
transmisit imperium, quin neque ad pronepotes cognationis,  
cum, tamen nihil æquè conarentur, atque hoc. excipiendus est  
solus Constantinus Chlorus amicissimus Christianorum, Con-  
stantiniq. pater, cuius imperium peruenit ad nepotes.

C Quarto Imperatores eripuerunt corporibus Pontificum Ro-  
manorum vitam. Deus autem dedit iisdem corporibus, vt ipsa,  
ipsorumq. ossa, & cineres, in maximo ab omnibus cultu habe-  
rentur, ad illa supplices acciderent Reges, & Imperatores sum-  
mi, nedum conseruarentur illæsa ab iniuriis temporum. Quin  
per eadem sanitas agrotis, & defunctis, aliquando vita etiam  
restitueretur.

D Quinto mirabile est intueri, vt Deus à gente in gentem trās-  
ferret imperium Romanum, quoties ab alicuius nationis Im-  
peratore bellum moueretur in veritatis, solidaq. virtutis asser-  
tores Christianos, & eorum Præsules summos. vt enim notau-  
mus signo nonagesimo nono de signis Ecclesiæ Dei, à Romani  
sanguinis Imperatoribus deuolutum est ad eos, qui Italici san-  
guinis erant, Nernam, Vespasianum, Titum, Domitianum: ab  
his ad Hispanienses Traianum, & Adrianum. Inde ad Gallicos  
Antoninum Pium Nemaufensem, & posteros quicunque ij fue-  
rint; mox reditum ad Italicos, Ligures, & Mediolanenses, nam  
tales fuere Heluius Pertinax, ac Didius Iulianus; His succedere  
Afri Septimius Seuerus, ac filij: sic itaque nunc primum Deus  
Europam reliquit atq; Europæos, & in Africam transijt, verum  
sublato Caracalla Deus in Asiaticos imperiũ Romanum tran-  
stulit Heliogabalum, & Alexandrum Seuerum Syros. post hos  
uentum ad Thracas Maximinum patrem, ac filium; Sed his, &  
Gordianis extinctis, ad Arabas Philippos est deuolutum. Dein-  
de his sublati excepere illud Pannoni Decij: quibus perem-

T 2 ptis,



ptis, ac Romani sanguinis aliquibus, Illyricianiq. Claudio; Daci, vel Mæsi imperarunt, ex his enim fuit Aurelianus; neq; multo post Probus Dalmata rerum summam tenuit. Dein verò Carus, quem nonnulli Narbonensem volunt, Cerilianus apud Vopiscum scribit ortum Pœnis parentibus in Illyrico. sed hoc Numerianoque, & Carino Cæsaribus ab eo creatis absumptis, ventum ad Diocletianum Dalmatā, Maximianūque Pannonium Augustos, Galerium Dacum, Constantiumq. Chlorum Dardanum Cæsares, ac mox Augustos.

Ad extremum denique Imperatoribus hisce de medio sublatis, quorum plerique falso diuinitatis integumento, quam sibi appellatione Diuorum, Templorum præterea constructione, sacerdotum, sacrorumq. institutione audebant arrogare, imperium Romanum crucis vexillo est attributum, crucis inquā, cuius est non simulare virtutes, sed eas potius oculere, modestiæ, humilitatisq. velo, suscipere in e non honorificas dignitates, sed opprobria propter Christum, Deumque, vt aliorū peccata expientur, Deus sit mortalibus propitijs, omnibus eos bonis, potissimum verò cælestibus animi ornamentis amplificet.

Sicigitur cum nihil non machinarentur Imperatores in veræ virtutis assertores Christianos, eorumq. Præsules summōs contrarium prorsus in cunctis euenit, quod per annos ferè trecentum sunt omni ope moliti.

Sexto illud sit obseruatione dignissimum, tum maximè imperij Romani summam venisse in potestatem Christianorum, cum maximè videbantur excisi, omnia illorum prorsus extincta, atque ad nihilum redacta. Omnium namque acerbissimum bellum mouit Diocletianus, quod aliquot annis durauit, innumeros occidit, templa omnia subruit, libros vniuersos comburi iussit. fuit autem, quod Victor scribit, vaferrimus, & qui aliena inuidia suam vellet explere crudelitatem, cūque sauiissimus esset volebat appare mitis, ac placidus; ad abstinentis verò, ac modesti nomen captandum se se vnā cum Maximiano abdicauit imperio, sed quando feruentissima ambitio ipsorum, quam simulacris, & virtutum figmentis adumbratam volebant, non poterat intra angustos modestiæ cancellos se continere, dum rursus arripere imperium insidiosissimè venantur, Maximianus quidem suffocatus est iussu Constantini, quē deijcere conabatur, Diocletianus autem sibi timens, venenum bibit. Atque hæc pri-

A ma classis, primus exercitus eorum, qui aduersus Pontifices Romanos præliati sunt.

Secunda classis est potentissima hæreticorum Imperatorū, Regum, Principum, nationumq. hi Christi cultum simulant aduersus Christum; fidem se maximè præstare, in quo maximè illam violant, profitentur. Hic exercitus initium sumpsit à Simone Mago, & numquam destitit incredibili impetu, dolisque, & machinationibus insidiosissimis oppugnare Pontifices Romanos. recenseamus summatim agmina istorū maxima, nam minora omitemus. Primi fuerunt Ariani Constantius, ac Valens Imperatores, ille totius orbis Romani, hic Orientis: his se adiungere Ostrogothi, qui tenuerunt Italiā multis annis; Vandalī, qui Africā supra annos centum; Visigothi, qui multo maiori temporis spatio Hispanias; Longobardi aliquot qui magnā Italiæ partem. Secundi sunt Aphtartodotici, è quibus Anastasius, Basiliscus, ac suprema ætate Iustinianus imperatores. Tertij sunt Manothelici, inter quos Heraclius, Constans, qui Martinum Papam propterea relegauit in Pontum, ambo Imperatores. Quarti sunt Iconomachi Philippicus, Leo Isauricus, Copronymus, Leo Copronymi filius, Leo Isauricus, Michael Balbus, Theophilusque Imperatores Orientis. Quinti sunt Nicolaitæ, qui volunt à sacerdotibus vxores ducendas; leges in his, ac vota etiam frangenda: sunt huius sectæ inter alios, Vitiza Hispaniarum Rex, cuius moribus dicitur non fuisse dissimilis Rodericus, quibus regnantibus Hispaniæ sunt à Saracenis occupatæ; Hos secutus est Henricus Tertius Imperator longo post tempore.

Sexti sunt Pneumatomachi, qui asserunt Spiritum sanctū nō procedere à filio. Dedit his initium Photius Patriarcha Constantinopolitanus circiter annum octingentesimum sexagesimum quintum. His plerique Imperatores Orientis adhæserunt, nonnulli hanc hæresim detestati sunt, aliqui nihil eam curarunt. Monomacho imperantē, primum Michael Patriarcha est ausus anno millesimo quinquagesimo tertio Pontifices Romanos excommunicare, nihilominus redierunt ad mentē Greci, ed semel iterumque, ac sæpius relapsi sunt, donec omnes adduxit Turcarum Rex in potestatem.

Septimi sunt Lutherani, Calvinistæ, Augustanæ, vt vocant, confessionis sectatores, & incredibilis, quarumuis hæresum colluies, quæ abripuit secum Reges Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Sue-



# 150 Imperia pendere à veris virtutib.

diā, & innumeros Septentrionis populos.

Verum enimvero, cum verā virtutis illud sit, vt obiectas tenebras vndique discuriat, & clarior ipsa exurgat. Cum fuerint isti conati Dæmone malo impellente caliginē luci illius offendere, atque vnā fidem dissuere, contrarium prorsus ijs euenit.

Primo enim loco id effecerunt, vt vniuersalia cōcilia sapius fuerint aduocata à Pontificibus Romanis, ad quæ conuenientes ex omnibus cogniti, peruijque orbis locis episcopi in vnam sententiam conuenere, doctrinamque catholicam magis, ac magis corroborarunt, ac toto orbe catholico disseminarunt. quot vero illa fuerint, nos alibi enumerauimus. quāti sint aperuimus, signo de sanctionibus vniuersalium conciliorum. Illud hic sit satis adnotasse, ab orbe condito neminem, vel Imperatorem, vel Regem fuisse, qui tantum potuerit vt ē tot nationibus, tot episcopos, in vnum valuerit vnquam conuocare, tantū scilicet est veritatis robur.

Secundo mirum sit nulla scripta Arianorum, nulla Monothelitarum, nulla Apathartodocitarum, vel priscorum, nunc extare vllibi, vel tenuia, nulliusque momenti, cum tamen certissimum sit plurimos viros eruditionis opinione præstantes extitisse, qui veritatem contenderint expugnare libris editis quod igitur euannerunt? nullibi reperiuntur, nisi quantum litteris ea suis nostri compræhenderunt. Hæc est potentia solidæ virtutis vt obstantia dirumpat, ad nihilum redigat, falsitatis, ac simulatæ virtutis est abire in nihilum. contra genuina virtus.

*Non fumum ex fulgore sed ex fumo dare lucem Nititur.*

Tertio quamuis articuli Christianæ religionis, quoad substantiam multiplicari non possint, quoad explicationem tamen, consecutionumque deductiones multiplicantur, veluti sol vnus, radij possunt semper geminari; vnus arboris stipes rami plures, vnus paradisi fons, flumina quatuor in varias orbis partes se se diffundentia, telluremque irrigantia. sic igitur hæretici fuerunt in causa, vt multa illustrarentur, veritas magis illucesceret, latius eius fulgor porrigeretur. variis de rebus non modo doctissimi libri componerentur, sed sanctionibus per cōcilia decretis veritas stabiliretur. sic itaque illud verē dictum liquet temporum progressu discuti mendacia; veritatem magis illuminari.

A' με.

# Aduersus Macchiauellum. 151

A' μέραι δ' ἐπιλοιπαί,  
Μάρτυρες σόφοταται.  
Dies vero aduenientes  
Testimonia sunt sapientissima.

Quarto mirandum sit ab Hæreticis nihil ad humani generis vsum fuisse vnquam per tanta temporum spatia inuentum, nihil transactum, cum tamen tot nationes, tot Reges, tot ac tanti Imperatores extiterint & nemo ex eis aliquid attulit insignioris boni? Ita sanè. Quot verò, & quanta catholici? nos illa enumerauimus signo de peritia catholicorum, de efferis gētib. ad humanitatem perductis, cultu desertorum locorum, Virtus quippe, vt diximus, est illa, qua tendimus in bonum, & qua non proprium, sed commune inquiritur, & cum proprium, tunc vt communi seruiat. Quid itaque mirum si nihil boni excellentioris ab hæreticis qui se Christum bonitatis exemplar profitentur illi quidem sectari, sed nihil minus? quamobrē peiori sunt ipsi conditione, quam ceteri infideles.

Quinto mirum sit ab hæreticis nullos vnquam populos ab infidelitate ad Christi cultum perductos; cum quolibet seculo innumeri sint à nobis Christianæ pietati conciliati, vt aperuimus signo de propagatione, & perpetua propagatione fidei. quin quo turbulentiores excitati sunt ab ijs fluctus, eo maiores à nostris facti progressus, vt infra attingemus, illorū vero omnia loca ab infidelibus occupata.

Sexto ab Imperatoribus ac Regibus hæreticis, imperia regnaque vltra abnepotes non trāsmissa, illos infeliciter obiisse, neque ab illis regnatū vltra annos quadraginta, quod aperuimus signo de infelici obitu, & posteritate hæreticorum, atque ita cuncta istis in contrarium cesserunt. cum secus illi conarentur.

Tertia classis est, vt omittamus schismaticos, & excommunicatos, eorum, qui iura Ecclesiastica, potestatemque Pontificiam lacerant, aut quoquo modo imminuūt, classis porro hæc, incredibile est, quot agmina secum ducat Imperatorum, Regum, Principum, & quorumuis denique, à quibus imperium sacerdotij solet aut labefactari, aut declinari. quis vero erit exitus frigida pietatis? vt in ipsos ad extremum recidant omnes machinationes, & sacra potestas valentior exurgat.

Primo autem loco cum prisci Imperatores Christianæ Religionis

gionis



gionis inimici nihil non aduersus Pontificem Romanum fabricati essent, vt eius nomen abraderent è terris. Constantinus quid illi non est elargitus? Vfus ne sit omni illius donatione quoad Occidentale Imperium Papa, nunc nolo disputare. Græci enim volunt ei donata ipsius iura omnia, ac multi è Catholicis idem contendunt. Illud clarissimè apparet, ipsum potuisse aduocare ad se quascunq; causas ad Vrbem venientes, in quauis parte iudicij, neque ab illo fuisse appellationem. id constat è Codice Theodosiano titulo de audientia episcopali. Romæ sanè in Lateranensi Palatio, quod illi reliquit Constantinus, ac sedes erat Imperatorum, habitabat vt Hieronymus testatur epistola ad Oceanum, & ex illis Prudentij versibus habetur.

*Cætibus aut magni Laterani currit ad ædes,  
Vnde sacrum referat Regali chrismate signum.*

Tantaq; erat auctoritatis, vt Ammianus Christianis infensus, cum fuisset in Vrbe, scriptum reliquerit incredibile fuisse, quam colerentur, & quot modis, qui Romæ sine liberis erant; signans sacerdotes, qui huiusmodi forent. additq; in Vrbem rediisse Pompiliani temporis securitatem. Nam Pompilius in potestate sacerdotum posuerat omnia diuina, & humana iura, vt Plutarchus in Numa tradit, ac Festus verbo ordo. Idem præterea Constantinus immensas illi opes reliquit, & in concilio Romano testatus est, omnia subiecta esse iudicio ipsius, neque se, neque sua excipiens, ipsum nulli. Quin ait Rufinus lib. 1. cap. 2. ab eodem dicta hæc in concilio Niceno verba ad omnes Episcopos, nos à vobis recte iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iudicari.

Secundo, cum Constantino successi Imperatores iura Ecclesiastica imminuissent; præcipuè verò Honorius, ac Valentinianus, ille quidè, ne posset Episcopus cognoscere, nisi causas religionis, si quis aufugeret ad Ecclesias, abductus grauius castigaretur, Clerici è monachis dumtaxat eligerentur, atque è vicis Ecclesiarum, quibus ascribebantur ad eum modo numeru, qui possent soluere Imperatori tributum è redditibus earum. Valentinianus addidit, ne ius in clericos haberet Episcopus, nisi consentiret, ne collegio astrictus fieret monachus, aut clericus. Quid igitur continget istis imperium Occidentale moderantibus? contrarium prorsus eius, quod contendunt. discinduntur eorum ditiones, augebuntur Pontificis Romani, & Episcoporu. Nam

**A** Nam regnatibus istis, eorumq; successoribus in eadem diminutione Ecclesiasticæ potestatis permanentibus, Franci Gallias, Vandali Africam, Visigothi Hispanias, Angli Britanias, Heruli, ac mox Gothi Italiam cœperunt. atque ita, quam ruinâ struebant isti in Ecclesiasticam iurisdictionem experti sunt diuina prouidentia sic disponente incidere in suam, finemq; imperio Occidentali imponi.

Romanis autem Pontificibus longe secus accidit, quam moliti fuissent Imperatores Occidentis. Nam qui discerpere eorunditiones, quidquid acquisuerunt subiecerunt Antistiti Romano.

**B** Clodoueus in primis de manu Rhemigij Archiepiscopi Rhemensis ob potestatem à Papa Hormisda concessam voluit sibi Galliarum regnum, posteriq; cōferri, ita vt quoties vngeretur Galliaru Rex, profiteretur, illud se accipere ab Archiepiscopo Rhemensi, ex auctoritate Romani Pontificis, quod Papirius Massonus in vita Henrici Primi tradit. longe autem post cum Recharedus Hispaniaru Rex Catholicæ se pietati restituisset, institutum est, vt ipse, ac successores vngerentur ab Episcopis suis, quod è Chronico Isidori liquet. tantaq; est Episcopis potestas data, vt Reges folio deiicerent; quod accidit Suintillæ, ac

**C** Recimiro veluti hæreticis anno sexcentesimo vigesimo nono, vt notauit in suo Chronico Vaseus. Constitutum præterea trigesimo octauo à Toletana Synodo nequis Rex esset, priusquâ iuraret haud se permissurum, vt aliquis hæreticus degeret in regno. at Reges Angliæ tributariâ fecere insulâ Romanæ Ecclesiæ, Adelolphus, Alurcdus vt è Polydoro Virgilio habetur. Amplius in mores inductum fuit, vt Imperator Constantinopolitanus, siue Orientis à Patriarcha, qui tum confirmabatur à Pontifice Romano, coronaretur; neque prius intelligebatur Imperator, vt è Zonara in vita Anastasij constat. Quin cum Ioannes Papa.

**D** Constantinopolim profectus esset, Iustinus illi obuiam procedens, cum toto populo, & ad eius pedes procumbens ad templu deduxit dextrum dextro in folio collocavit, ornamenta Imperatoria deposuit, atq; illa sibi dari à Pontifice Romano voluit, ab illo imperium se accipere professus, quod est in vita illius, ac Sigonius post alios memoriæ prodidit.

Viden Cæleste consilium? Viden vt inermis religio, nuda virtus retorqueat arma aduersaria in caput ea stringentium? Viden, vt incidat peccator in foueam, quam fecit innocenti? Videamus adhuc maiora.



Tertio Iustinianus consilio parum pio noluit Pontifices Romanos consecrari nisi adsentientibus Imperatoribus orientis. id volunt aliqui ab Odoacre institutum; deinde usurpatum à Theodorico Italiae Regibus. nō audeo tamen id affirmare, cum non habeam ex antiquis ullum testem. illud certius Senatū Romanū conatum sibi asserere aut omnino, aut ex parte electionē Papæ, & clerum Romanum spoliare, quo circa in electione Laurentij & Symmachi coorta seditione per triennium fœdæ cædes in Vrbe fuerunt, vt Paulus Diaconus testatur.

Contemplemur nunc, quid Deus omnium rerum moderator cōstituerit. in primis igitur sublatis sunt de medio Reges Odoacer, Theodoricus, ac reliqui Ostrogothi. Senatus ipse extinctus, vt è Procopij, & Agathie libris de bello Gothico apparet: Quamobrem cum Senatus olim Romanus pleraque maxima in Occidentali imperio regeret, eo sublato, Pontifex Romanus nihil non magnum longè posito Imperatore administrabat. ipse solus Senatum referens, & in eius omnia iura succedens. Hinc Gregorius Magnus scribit, vt milites mittantur quò iubet; ad se pertinere ait in Italia pacem facere cum Longobardis etiam si nolit. Exarchus; ad ipsum Romæ consistentem veluti ad remp. Reges Longobardi legatos mittebant. cumq. initā pacem ab ipso Mauritius Imperator non approbaret, eam tamen violare noluerunt illi, nullam Mauritiij rationem habentes. Idem Gregorius pacem cum Theodorico Francorū Rege sancit veluti inter Regem, & Remp. Romanā. litteris suis imperat militum magistris, quid agendum, quò eundum, vnde abscedendum, qui relaxandi, qui retinendi. ciues Romanos efficit. Exarcho Africae scribit, vt ipsius nomine iubeat, Theodorum militū magistrum abstinere ab illicitis quibusdam, Libertino Siciliae Præfecto mandat, vt inquirat in ausa quædam Iudæi Nasæ, atque ea seuerissimè puniat. statuit nequis in Sardinia cognoscat viduæ Catellæ causas. Sic igitur nihil non in Occidente Pontifici Romano erat subiectum.

Quid plura? Longobardici Reges ab ipso sibi dari voluerunt, vt Rex ab Archiepiscopo Mediolanensi, & Suffraganeis eius eligeretur, ac Modoetia coronaretur, ab eodē, quo iure ex cōcessionē Gregorij Magni sæpe vsi sunt Archiepiscopi, vt è Corio Mediolanensi, ac libris Sigonij de regno Italiae constat. sic itaque dum Reges Italiae Heruli, & Ostrogothi, dum Senatus Romanus, dum Constantinopolitani Imperatores cōtendunt sibi iura

A iura Pontificis Romani arrogare, suis excidunt, & ad illum diuinitus transferuntur.

Non tamen hic finis. Cum creabatur olim Constantinopoli Imperator, is mittere Romam solebat imaginē suam, suæque, si habebat, vxoris Augustæ, vt illa Populo Romano in vnum cōgregato ostenderetur, solitaq. acclamatione, & honore excepta, qui foret Imperator, agnosceretur, habereturq. atque ita in Occidentali Imperio parebatur illi, cuius imago Romæ fuisset eo, quò diximus, modo culta. Conuocare autem populum in hunc finem pertinebat ad Pontificem Romanum, Senatu amoto, nam cum prius hic stabat, ad hunc spectauit; sic itaque in potestate erat Romani Pontificis, aut reiicere imaginē, si voluisset, aut admittere, adiudicare Occidentale imperiū lecto Imperatori in Oriente, vel abrogare. Cogebatur populus ad oratorium Cæsarei prope S. Ioannis Baptistæ in Laterano, quo in loco reponebatur aureus nummus imagine Imperatoris electi insignitus. ac non ante multos annos Sixto V. sedente reperta est huiusmodi nummorū magna copia ibi recōdita. Sic verò, vt diximus, agi solitum creato Orientis Imperatore, apparet nobis, ex epistolis Gregorij Magni lib. 11. in principio. Videamus

C autem, quid contigerit, vt maximè illustretur quod præ manibus habemus, ac veritas eorum, quæ dicimus, maximè resplendeat. Anno septingentesimo duodecimo Philippicus Imperator inuasit occiso Iustiniano rinothmite Orientale imperium, bellumque in sacras imagines commouit. id videns Constantinus Papa noluit eius litteras Romæ, aut imaginem recipi, eumque pro Imperatore haberi. tradunt hæc horum temporum Scriptores Beda in Chronico, Paulus Diaconus lib. 6. cap. 10. Rursus cum non multo post Leo Isauricus in eadem cum Philippico iam defuncto hæresi foret, neque eodem modo recipe retur in Vrbe imago ipsius, neque pro Imperatore coleretur, ac nonnullos semel atque iterum misisset, qui interficerēt Gregorium XI. abrogata est omnis Romæ potestas, & in Occidente Imperatori Constantinopolitano, & in Pontificem translata, quod in vita Leonis tradunt Paulus Diaconus, Zonaras, Glycas, Manasses, ac post alios Sigonius.

D En igitur, vt mirabiliter diuina iustitia transfulerit omnia iura Occidentalis imperij in Pontifices Romanos. num metu armorum? nequaquam. num dolis, & astu Romanorum Pontificum? nihil minus. ijs ipsis molitionibus, quas machinabuntur



impij aduersus Pontifices Romanos æternæ veritatis, ac diuinitatis mortalibus communicatæ, Heroicarumq. virtutum, nō fictarum legitimos in terris assertores; vt illustrissimum fiat à veris virtutibus, non à simulatis imperia pendere.

Neque tamen hic finis. Nam cum Longobardorum Reges, Luitprandus, Aistulphus, Desiderius Romano Pontifici sæpius eripuissent Vrbes, ac ditiones ad ipsum pertinentes, neq; hi postremi restituere vellent contra omne fas ereptas, auxilio accitus Pipinus, ac postea Carolus eius filius armis receptas reddiderunt, ac iura Pontificia magis in Italia, & Occidente stabiluerunt, quod scribunt Rhegino, Eghinartus, & Aimoinus. Quin cum Romani indignissima quædam perpetrassent in Leonem Tertium, Carolus Rex aduocatus opem tulit, & Occidentis Imperator est à Papa constitutus, ac prope inscius, vt in eius vita scriba ipsius Eghinartus refert, Romæ est coronatus. ex illo Occidenti est imperium restitutum, & ille habitus Imperator, cui tantam dignitatem, potestatemq. Papa aut contulisset, aut ab ijs, quibus id iuris dedit, collatam cōfirmasset. Hinc ab illis imperium datum Gallitis primum, deinde Italicis, postremò Germanicis Regibus, in his consedit, eligentibus ijs, quibus ex priuilegio à Pontificibus Romanis est concessum, Papaq. id ratū, si placuerit, & iudicauerit bono publico expedire, habete. Hinc Gregorius VII. abrogauit imperium Henrico III. Innocentius II. adiudicauit Lothario Duci Saxonie, eripuit Conrado. Innocentius III. confirmauit Othoni IV. abstulit Philippo Sueuo, Innocentius IV. eo spoliavit Fridericum Secundum. & ab alijs Pontificibus alia sunt, vbi opus fuit, huiusmodi gesta.

Ex his, quæ hucusq. aperuimus apparet clarissimè à veris virtutibus imperia pendere, non à simulatis: ac retorqueri diuinitus artium malarum spicula in eos, qui iecerunt aduersus innocentes, diuinosq. æternæ veritatis, arcanorumq. celestium promulgatores. hinc alijs temporibus cum prophanarum rerū Principes aliquid auferre Pontificibus Romanis conati sunt aliquo, iusto pretextu, Deus post aliquod tempus Principes istos multauit, ac maiora Pontificibus reposuit. Hinc Spitigneus Boruorij Bohemie Ducis filius cōstituit argenti libras annuas centum soluendas è regno Romanæ Ecclesiæ, quod est in libris Ecclesiæ Lateranensis. eidemq. tributaria facta, Portugallense, Polonicum, Danicum, Noruegicum, Sueticum, Aragonense, Croatia, Dalmatiæq. regna. & feudorum iura data in Neapolitano,

- A litano, Sicilia, Sardinia, Hierosolymorum, & Antiochia regnis, ac principatibus. ipsum denique imperium Constantinopolitanum his adiudicatum, aliis abrogatum. superiori denique sæculo diuisus Orbis terrarum, quoad plagas inexploratas, & incognitas inter Castellanos, ac Portugallenses. quæ latè omnia persecuti sumus lib. xvij. de signis Ecclesiæ Dei signo lxxvij. cap. iv. Contigere autem, cum parum pij principes ex vna parte aliquid imminuebant è dititionibus sacris, Deus autem reddebat ex alia parte multo amplius. hinc liquet è signo xcv. de penis in diminuētes iura sacra diuinitus semper punitos post aliqua temporis interualla illos, qui detraxerunt aliquid ex eis. Ita verò punitos, vt nemo diffiteri possit id ob eam causam contigisse, quod religionis, quæ virtutum mortalium prima est, status sit per eos deterior, & infirmior factus ad humana, ac terrena omnino subiicienda superiorum virtutum moderatoribus, quales sunt Religiosi omnes, Episcopi, ac Pontifices summi, ita vt omnino cōcludendum sit, Ecclesiam Catholicam, in qua sunt veræ virtutes, ac perfectæ multo illustriorem semper exurgere. à veris virtutibus imperia pendere, non à simulatis, & in simulators reuolui tela emissa in veritatis Antistites, atque assertores, ac verè constet illud meritò dictum.

*Quam bene dispositum terris, vt dignus iniqui,  
Fructus consilij primis auctoribus in ster.  
Sic multos fluuiō vates arente per annos,  
Hospite qui cæso monuit placare Tonantem  
Inuentas, primum Busyridis imbuit aras.  
Et cecidit sæui qui dixerat hostia sacri.  
Sic opifex tauri, tormentorumq. repertor  
Qui funesta nouo fabricauerat æra dolori  
Primus in expertum Siculo cogente Tyranno  
Sensit opus, docuitq. suum mugire iuuenctum.*





*Imperia, ac regna maxima inter Catholicos ijs gentibus di-  
uinitus data, quæ magis abundarunt viris sanctis, &  
Christianæ pietatis propagatoribus; quod  
palam facit imperia pendere à ve-  
ris virtutibus non simula-  
tis. Cap. XIV.*



**N**ONDUM consistimus in cælo, latumq. discrimen inter diuina, & humana. His semper aliquid impuri. Nihil illis. Cur autem Deus non continuo flagitiosos castigat? ut sit aliquis locus patientiæ, indulgentiæ si resipiscant, patientiæ dum peccat. si protinus rei punirentur, quonam misericordia relegaretur? quinam tolerantia fructus, ac præmium foret?

*Si quoties peccant homines sua fulmina mittat*

*Iuppiter, exiguo tempore inermis erit.*

*Iure igitur, genitorq. Deum, Reçtorq. vocatur;*

*Iure capax mundus nil Ioue maius habet.*

*Sed solet interdum fieri placabile numen:*

*Nube solet pulsa candidus ire dies.*

Sic itaque Deus cum Reges peccant, cum nationes, ac potissimum magnæ, conuiet ad tempus, monet placidè per suos Pontifices, acriter obiurgat, leuius castigat, vires debilitat, honores minuit, ad extremum cuncta eripit, vastat, delet, An non ita? Intueamur quæso apertissimam veritatem, cognoscamusque maxima imperia inter Catholicos ad eas nationes cælitus delata, quæ magis abundarent duobus hominum generibus, sanctitate nimirum præstantibus, atque hoc est primû, deinde religionis Catholicæ inter gentes barbaras propagatoribus. Quatuor autem maxima existunt vsque ad hanc ætatem Catholicis imperia orientale (de Occidentali enim diximus capite superiori) Gallicanum, Germanicum, Hispanicum.

Oriente quædiu floruit hominibus sanctis, & pietatis Catholicæ satoribus, stetit illud præ cunctis, ac floruit. recenseamus ex ordine sæcula labentia, ex quo in Græciam transtulit impe-

**A** perium Constantinus anno 330. quod est à Christo nato sæculum quartum.

Quarto igitur sæculo vitæ cælestis puritate, & Heroicis virtutibus, splendebant in Oriente agmina admiranda, mortalium ne dicemus, an immortalibus superis similium? Tales certe erant Alexander, & Athanasius Patriarchæ Alexandrini, Alexander alius, & Paulus Constantinopolitani, Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius ille Magnus, Gregorius Nazianzenus, Nysenus, Iacobus Nisibenus, Nicolaus Myrrhæus, Paphnutius Thæbeus, Spiridion Cyprienus. sequuntur hos Barsam Edenese-

**B** forum, Moses Saracenorum, Brytannio Scytharum, Amphilo-chius Iconiensium, Frumentius Indorum, Gregorius Armenorum sanctissimi Episcopi. Quid hic enumerabimus tot monachos? tot Eremitas? En tibi Paulus Thæbeus, Antonius ille Magnus, Macarius, Isidorus, Pâpus, Benjamin, Scyrio, Helias, Paulus, Apeliotes, & alter Phocensis, Iosephus, Dydimus, Aphraates, Iulianus, Ephrem Syrus, Abytus, Marianus, Abrahamus, Agapitus, Paulus, Publius, Accephimas, Zeugmaticus, Marianus, Eusebius, Ammianus, Palladius, Abrahamus, Isaacius, de quorum mirandis operibus Rufinus, Hieronymus, ac Theodoretus latè. Christi porro cultus in Oriente est propagatus per Frumentium inter Indos, per Mosem inter Saracenos, per Isidorum, Pambum, atq; Heraclidem in Insulis Æthiopiarum quibusdâ, quas circumfluit Nilus, ut scribit Rufinus, Gregorium inter Armenos, atque inter Scythas Britannionem, quin Iberas etiam volunt hoc tempore ad Christi cultum perductos, quod Theodoretus scribit lib. 2. cap. 24.

**C** Quinto sæculo labente celeberrimi fuerunt sanctitudinis excellentia Chrysostomus, Flavianus, Eutychius, & Gennadius Patriarchæ Constantinopolitani, Marcianus œconomus Ecclesiæ Constantinopolitana, Epiphanius, Studius, ut aliqui volunt, auctor Studitarum, Euthymius Magnus, Daniel Stylira, Olympius Asceta, Nilus, Varadatus, Iacobus Iunior Nisibenus, Saba ille Magnus Palestrinæ habitator Theodistus, Cassianus, Euagrius, Theodosius.

**D** Sexto sæculo imperatibus Aphtartodocitis, & Monorhelitis excelluerunt Cyrillus insomnium præfectus, Symeon, Zosimas, Ioannes, Simeon Sala, quorum meminit Euagrius. vinebât adhuc Saba Magnus, Barsanuphius, eorumque sectatores, Anastasius Sinaita, qui postea fuit Patriarcha Antiochenus, Ioannes Elec-



Euag. Mb. 4.  
cap. 22.

Eleemosynarius Alexandriæ Patriarcha. Perducti sunt ad Christi cultum per Orientales Lazi, quod Diaconus testatur, Abasgi Heruli, nonnullique alij populi ad Tanain siti, ut Euagrius scribit, Auxumitenses, & Homeritæ in Æthiopia, ut ostendimus signo de propagatione fidei, & sequentibus lib. 4.

Sicut autem tempore hoc multæ gentes ad Christum perductæ, sic Iustiniano imperante, quo hæc acciderunt, receptæ imperio Orientali, depulsis Vandalis, & Gothis Africa, & Italia, ut qua parte Orientales Religionem dilatabant, ex alia Deus imperium similiter augeret.

Septimo quo post Heraclium plerumque imperarunt Monothelitæ, è quibus Cōstans Martinum Papam Roma abductum summo scelere in Pontum relegavit, Floruerunt sanctimoniarum laudibus Alypius Cionita, Maximus cum duobus Anastasij discipulis, Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus. Hoc tempore Mahometes extitit, Ægyptum, Syriam, multasque Asiæ, & Africæ occupavit.

Octavo dominati sunt plerumque Iconomachi, eluxeruntque in Oriente vita puritate, Ioannes Damascenus, Andræas Calybites, Iulianus, ac Valens, Theophanes, ac Theodorus Monachi, amiserunt autem sæculo hoc Imperatores Orientis, quidquid in Africa, ac penè Asia tota possidebant.

Nono adhuc aliqui ex Iconomachis regnarunt in Oriente, Leo scilicet Armenus Michaël Balbus, ac Theophilus ab anno 813. usque ad 842. Sardiniaque, Sicilia, quædam Calabria, & Apulia, quæ parebant Orientali Imperio, loca, Creta, Cyprus occupata à Saracenis, præstabant sanctis moribus Theophanes, ac Theodorus Monachi. Post annum vero 842. Methodius, Tarasius, Nicephorus, Ignatius Patriarchæ, Ioannicius, ac Plato monachi, quorum meminit Zonaras in annalibus suis cum multa laude. atque ex hoc Basilius Macedo Catholicus Saracenos ultra Euphratē summonit, Asiam, Syriamque cis id flumen recepit, Cretam similiter Cyprumque & insulas maris Ægei.

Hoc item sæculo Bulgari, ac Rhufsi, è quibus Moschouitæ ope Græcorum Christianæ pietati se addixerunt, ut habet in Annalibus suis Zonaras. atque ita cum pietas catholica magis Orientali affulset, vitæque simul Catholicæ puritas, ac per Orientales Christi religio est magis amplificata, imperium simul rediit ad antiqua incrementa.

Verum.

**A** Verum post annum octingentesimum sexagesimum tertium Græci Photio instigante à nobis se se alienare ceperunt, & eorum nonnulli hæreticorum penè loco nos habuere, donec anno millesimo quinquagesimo tertio Monomacho imperante est ausus Michael Patriarcha Pontificem Romanum cum suis excommunicare quasi hæreticum. quod autem mirandum sit post Photij ætatem nullius meminit Zonaras, quem laudet à sanctitate vitæ, cum tamen veluti Monachus profiteatur Ecclesiasticam historiam scribere, atque ante id tempus multos afferat, quos nominat sanctos, neminem postea. cōsentiunt Zonara Glycas, Manasses, Curopolates, Græci omnes.

**B** Ex illo igitur elanguit omnino Imperium Constantinopolitanum, ita ut iisdem testibus Monomacho regnante Turci occuparint quicquid erat in Asia Orientalis imperij. in Europa porro infirmum iacebat, ac viribus nullis à Bulgaris, Vvallahis, Sclauis, & Hungaribus dilaceratum. capit ex aliqua parte melius habere, cum nostri in expeditione sacra Turcis abstulerunt quicquid in Asia minori habebant, & Græcis reddiderunt, ut Robertus Monachus, & Choniata testatur: maxime vero id cōtigit Manuele rerum potito, ut adnotauimus latius signo vigesimo quinto, de perpetua sanctorum successione aperientes, Græcis melius fuisse quoties cum Pontifice Romano melius sentiebant.

**C** Quocirca cum post obitum Michaelis Palæologi, qui se Imperio Papæ subiecerant Græci omnino se abiunxissent à nobis anno millesimo ducentesimo octuagesimo tertio, non modo inter eos nemo fuit sanctimoniarum alicuius, sed Turci in Europam transeuntes Imperium prorsus euerterunt. itaque sic apparet imperia pendere à veris Virtutibus, ut quæ nationes inter Catholicos magis excellent sanctis viris, cultumque Christi propagant, illæ adipiscantur imperia maiora. excipimus Imperium Pontificiæ sedis in Italia consistens. Quin ex allatis constat Orientale imperium tunc magis floruisse, cum diuinis viris illud magis floruit. Hinc quarto, quinto, & sexto sæculo valde excelluit imperantibus Catholicis, septimo, & octauo est maxime depressum. Nono veritati se reddens, ac sanctis adornatum nonnihil extulit caput. Decimo à nobis iterum se se alienans iacuit. inde per nostros ad expeditionem sacram itantes est sustentatum usque ad mortem Michaelis Palæologi, qui Catholicus fuit. ex hoc ab omni sanctitate, & sanctis

X



etis omnibus nudum miserabiliter in preceps abiit.

Gallicanum imperium, cum viris sanctis abundauit, & inter infideles religionem Catholicam propagauit ad amplitudinem magnam sic peruenit, vt primas teneret. id accidit maximè Pipino, Carolo Magno, Ludouico Pio, liberisque eius regnantibus. complectebantur namque horum ditio-  
 nes Hispaniæ non ignobilem partem, Italiæ maiorem, Gal-  
 liam, Germaniam vsque ad Vistulam, Liburniam, Dalmatiam  
 Mysiam, Pannoniam, Daciam, vt ex Eghinartho habemus,  
 Reges porro hi maximè fauerunt sanctissimis viris Bonifacio,  
 & Lullo Archiepiscopis Moguntinis, vt Christianam pietatem  
 seminarent inter Germanos, Burchardo Herbipolensium, Vuil  
 librodo Frisiorum, Vulfranno Senonensium Episcopis, vt id  
 perageret. Quin idem Carolus in Holsatia instituit episcopum  
 Heridagum, qui Slauorum, Danorumque regiones Christiana  
 pietate illustraret; huic Anscharius, Rhembertus, alijque san-  
 ctitate pollentes deinde successerunt, ac plurimi denique è Cor-  
 beia Saxonie educti, à quibus latè Christi cultus est per omnes  
 oras Boreales amplificatus, vt è Saxonia Crantzij liquet. ere-  
 xit autem Carolus in Germania episcopales sedes nouem, Ar-  
 chiepiscopales duas, atque omnes viris eximia sanctitatis com-  
 mitti curauit, Monasteriensem Lugdaro, Mindensem Heriber-  
 to, Halberstadensem Hildegrino, Osnaburgensem Vvihoni,  
 Bremmensem Vvileado, Padeburgensem Harimario, Verden-  
 sem Suiberto, Hamburgensem Heridago, Hildemenssem Gun-  
 thero. atque hi fuere Episcopatus. Archiepiscopatus autè sunt  
 Hamtugenfis, & Salzburgenfis, quæ refert latè Cranzius Saxo-  
 niæ lib. 1. cap. 5. & seq. & lib. 2. cap. 14. ab his latè Christi cultus  
 per omnes Germaniæ terras amplificatus, & ex his in reliquas  
 Septemtrionis oras. multa deinde præstita sunt à posteris Ca-  
 roli Magni ad promouendâ Christianam doctrinâ in iis locis,  
 quæ persequitur idem scriptor in Metropoli sua. cum vero Gal-  
 lici Reges desierunt religionem Christianam promouere inter  
 Barbaras gentes. tum maxime imminutum est de regnis eo-  
 rum.

Germanicum Regnum, & Imperium maxima incrementa  
 cœpit ab Othonis primæ ætate vsque ad Ludouicum Bauarum:  
 nam circiter ista tempora cœpit valde decrescere: aut etiam  
 paulo supra. Sustinuit eius casum Sigismundus Imperator, qui  
 multa simul regna coniuncta moderatus est. sustinet nunc Au-  
 stria-

A **A**striaca gens religione insignis. Igitur Othone imperante Vn-  
 nis Hamburgensis Episcopus. Aldedagus, alijque successores  
 inter Suecos, & Gothos cultum Christi latè amplificauerunt vt  
 è Crantzij Suedia constat. Auctor est Helmodus in historia Sla-  
 uorum, Daniam ab Othone domitam, diuisamque in tres Epi-  
 scopatus, atque illos Hamburgensi Episcopo subiectos, & ad  
 Christum perductam. ab eo qui continuauit Chronicon Rhe-  
 ginonis, discimus Helenam Rugorū Reginā misisse ad Othonē  
 legatos, vt haberet, qui pietatem catholicā propagaret in eius  
 regno, eductusque è Monasterio Corbiensi Aldelbertus, atq; ad  
 B **B**eam rem perficiendam missus est. Incertum mihi est, an hic sit,  
 qui Hungariæ, ac Poloniæ tum populos, tum Reges, seu Duces  
 Christo conciliauerit, vir magnæ sanctitatis, vt è Cromerio &  
 Bonfinio liquet. Othone primo Imperatore florebat Diuinis  
 virtutibus, sancti Huldricus Augustanus, Conradus Constan-  
 siensis, Vigibertus Lotharingus, alijque multi sequētib; tem-  
 poribus: de quibus Helmoldus, & Arnoldus in historia Slauo-  
 rum, Crantzij in Suecia, Dania, Metropoli que sua, postremi  
 omnium populi, qui fuerint opera Germanorum lumine Chri-  
 stianæ religionis illustrati sunt. Prussi, ac Liouones. desierunt Ger-  
 C **C**mani à propaganda religione, post Bauari ætatem. tributum  
 pendebant antea Germaniæ Regibus, atq; Imperatoribus Bo-  
 hemiæ, Hungariæ, Poloniæ, Dantiæq;. Reges, ac reliqui Septem-  
 trionis cuncti propè Principes, ac Duces, vt libro de bellico ro-  
 bore probauimus. plurimos è Germania tum sanctitate præ-  
 stantes, tum religionis Christianæ disseminatores ab Othone,  
 vsque ad ætates sequentes numerauimus signo de perpetua san-  
 ctorum successione, & fidei propagatione. Nunc sanè ob hære-  
 ses eneruatum lugemus Germaniæ regnum.

Hispanicum, siue Castellanicum, post hæc nobis occurrit cui  
 D **D**connumeramus Lusitanicum. vtraque enim Regi vni obediunt,  
 quamuis vtrumque per se stet, ac suis separatim legibus guber-  
 netur. Hoc omnia superat amplitudine terrarum, quæcumque  
 vnumquam fuerint ab Orbe condito. Eius incredibile incremen-  
 tum est ab anno millesimo quadringentesimo nonagesimo se-  
 cundo, ex quo Christophorus Columbus Indias detexit. Hispa-  
 norum verò laboribus tot populi sunt Christiana religione im-  
 buti, vt numquam plures. sanctitate verò præcipua floruerunt ex  
 eis, Martinus Valentinus, qui cum duodecim sociis Indias pe-  
 tiit, & gentes multas Christo conciliauit, Ignatius Loiola, Frä-  
 ciscus



164 *Imperia pendere à veris virtutib.*

**A** ciscus Xauerus, Petrus è Montibus, Ludouicus Lerma, Toribius Matolinia, Ioannes è Sancto Francisco, Andreas ex Olmo, Franciscus Colmenarius, Estuniga, Laurentius è Rapariego, Ioannes Nauarretes, Franciscus Gata, Didacus è Murcia, Andreas ex Asaiso, Petrus Sancius, Petrus è Guarda, ac non ante multos annos Aloysius Bertrandus, Nicolaus Fattorius, alijque multi, de quibus egimus signo de fidei propagatione.

Sic igitur apparet ex adductis imperia maxima inter Catholicos ad eas gentes delata, quæ magis præstiterunt sanctis viris, & Christianæ simul religionis propagatoribus. Eorum magnitudini diminutum, cum simul est remissum de studio pietatis Catholicæ inter barbaros amplificandæ. quid ita? quod nimirum necessariò sequitur, vnâ cum virtutibus diuinis imperia magna procedere, & hæc ab illis pendere. sic etiam probauimus alibi signo nonagesimo olim diuinitus data imperia gentibus illis magna, quæ minus aberant à veris virtutibus. cumque illæ in vitia deinde ob partas opes prolaberentur, ab his ad alias transferebantur. quod verò sit maximè admirandum, quicumque amplificauerunt Christi cultum inter exterarum nationes, eos vel misit Pontifex Romanus, vel adiunxit in maximis, eorumque studiosi, ac sectatores fuerunt, quos extulit, & amplectatus est auctoritate, & potestate sua, vt è signis adductis aperte constat. cumque isti plerique omnes fuerint ex ordinibus religionis, aut alumnis eorum, ex ijs fuere, quos Italia, ac Roma fouit, aluit, recepit, quales sunt SS. Augustinus, quem religioni Christianæ peperit in Italia Mediolanum, Benedictus, Romualdus, Bruno, Dominicus, Albertus, Franciscus, vt meritò Deus, qui benignitate sua hæc Italix dedit, dederit eidem Pontificiam sedem, cui pareant Reges omnes, atque Imperatores.



*Aduersus Macchianellum.* 165

**A** Hereticorum conatus omnes ad quinque capita rediguntur. qui in contrarium semper eis contingunt, atque ex illis magis Ecclesia amplificatur, atque ornatur. Cap. V.



**B** ONDVM finem faciamus, sed adhuc contemplerur, vt Deus retorqueat in caput eorum, qui iacula iaciunt in ipsum, veritatemque immutabilem, quam sancit vniuersali lege omnino credendam, speciatimque sequendam Pontifex Romanus, atque omnino contrariū contingat illis eius, quod contendunt, dum simulatione virtutis aduersus virtutem præliantur hæretici prætextu veritatis, quam sequi se profitentur, discedunt à fide Pontificis Romani, euenitque vt integræ nationes quandoque illos sequantur. Quid conatur isti? primum sanè vt ipsos populi plurimi sequantur, ac doctrinam, quam tradunt. Secundum, vt qui eam recipiunt. omnibus aliis inter Christianos præcellant opibus, & imperio. Tertiū vt qui religionem potissimum profitentur, ac tradunt alijs, ab ipsis sint, eorum partes sequantur: sic enim doctrina ipsorum maximè propagatur. Quartum, vt omnis disciplina & ars, quæ possit ornare, ac promouere ipsorum sententias, floreat inter suos sectatores. Postremum vt religio Romani Pontificis, obedientia, quæ præstatur illi, extenuetur, cadat, euanescat. Atque ita nullum sit ipsius imperium, nullum veritatis sit regnum.

Mirabilissimum sit itaque per annos iam mille quingentos nonaginta tres contrarium contigisse; & certissimo contrariū semper continget ad extremum. Hoc autem fieri haud posset, nisi à veris virtutibus, nisi à veritate penderent imperia, nisi Romano Pontifici veritas suffragaretur, cum scriptum sit: Propter veritatem deducet te mirabiliter dextera tua: & veritas Domini manet in æternum: super omnia autem vincit veritas. Psal. 44.  
Psal. 35.  
3. Esd. 3.

Quantum pertinet itaque ad primum. hæretici multos habent à principio sectatores; dein verò ad tantam paucitatem rediguntur, vt nulli sint: protinus enim discinduntur inter se, ac nemo est ex ijs, qui nouas hæreses priori contrarias nolit ex inferis in auras educere, ita vt ad extremum vel nulli sint, vel pau-



paucissimi. Vbi nunc Arianorum tot Imperatores, in quibus A  
Constantius, & Valens, tot Reges Ostrogothorum, Visigotho-  
rum, Vandalorum, Sueuorum, Longobardorum, qui propè Or-  
bem totum tenebant, ac veluti Gigantes bella aduersus Deum  
moueant? nimirum vere illud.

*Regum timendorum in proprios greges*

*Reges in ipsos imperium est Dei*

*Clari Gigantæo triumpho*

*Cuncta supercilio mouentis.*

*Qui terram inertem, qui mare temperat*

*Vndosum, & Vrbes, regnaq. tristia,*

*Diuosque, mortalesq. turmas*

*Imperio regit vnus æquo.*

Quin ipsimet hæresum principes à semetipsis desciscunt, ac  
nullum faciunt in plurimis, quod pertinacissime prius crepa-  
bāt, vt aperuimus signo de vera fide. Lutherus vini plenus som-  
niatus est, ac veluti oraculum prodidit Orbem totum placita  
ipsius securum, ac viuens vidit plurimos à se deficere, immi-  
nui ipsius factionem. longe secus accidere in Pontificis Roma-  
ni religione infra clare ostendetur.

Secundo loco regna omnia ipsorum solent à barbaris, effe-  
ris, Christianæq. religionis euersoribus occupari. ita sanè con-  
tigit Orientali imperio, ac regionibus singulis, quæ receperunt  
hæreses ex antiquo, & ex omni tempore, vt aperuimus signo de  
interitu fidei.

Quin barbari illi, qui regiones hæresibus plenas inuadunt,  
vel Pontifici deinde Romano se se deuouent, vel prorsus inte-  
reunt. Sic Angli, qui Britannias Pelagianorū plenas, atq. hære-  
ticorum, de quibus meminit in vita Augustini Romani Beda,  
egerunt: sic Franci, & Burgundi, qui Gallias similiter hæresibus  
abundantes, vt placet Saluiano Gallo libris de prouidentia di-  
uina, inuaserāt, sic Visigothi, qui Hispanias à Prisciliano con-  
raminatas; sic Longobardi qui Galliam Cisalpinam Pontifici  
Romano tunc haud obediētem adduxere in suam potestatem,  
sic innumerū populi, qui Germaniam, Daciam, Mysiam, Panno-  
niamque ab Arianis inquinatas tenuere. Amplius vt supe-  
riori capite est explicatum, maxima inter catholicos imperia,  
diui-

A diuinitus ad eos deferuntur, qui Catholicam religionem pro-  
pagant.

Quantum ad tertium illo ipso tempore, quo conantur hære-  
tici abducere post se religionis præcipuos professores, excitat  
in Ecclesia Catholica Deus ordines nouos religiosorum san-  
ctissimis viris auctoribus, quasi conscribat exercitus in supple-  
mentum veteranorum, vel eorum, qui cadunt. En tibi, cum sce-  
lestus Arius bellum mouere cœpit in Oriente, Antonius, & Ba-  
silius acies religiosorum robustissimas instruxerunt. In Occi-  
dente Martinus, Hilarius, Cassianus etiam Massiliam profe-  
ctus, & sub idem sæculum Magnus ille Augustinus, neque multo  
post Benedictus.

Cum Vualdenſes, Albigenſes, Berengariani, Manichæiq. re-  
surgentes ante ætatem SS. Francisci, ac Dominici, classicum ca-  
nerent aduersus Ecclesiam Catholicam, Deus ex aduerso cæli-  
tus misit Dominicum, Franciscum, Albertum, atque Angelum  
Carmelitas.

Furentibus inde Hussilis, atque aliis huiusmodi, emisit Deus  
SS. Bernardinum Senensem, Vincentiumque Hispanum, cum  
multis aliis, qui sunt eorum secuti, vel aliorum familias religio-  
sas. Nostro autem Protestantibus obortis dedit Franciscum  
Paulanum, Ignatium Loiolam, vt omittamus minores ordines,  
atque acies.

Quoad quartum cum nihil æque pertineat ad hominem,  
quam mentem bonis artibus, ac disciplinis expolire. eo perue-  
niunt hæretici omnes, vt nihil earum denique fiat illis reliquū.  
cadantq. in incredibilem barbariem, rerumque omnium, qui-  
bus excoli possit animus, inscitiam. cognoscimus hoc è duo-  
bus. Nam quis ignorat, qui forent olim Græci in omnibus do-  
ctrinis? Nunc miserrime prolapsi in omnem cuiuslibet discipli-  
næ ignorationem vix propriè linguæ callent erudimenta. si  
quid addiscere volunt, ad nos, ac nostras oras concedunt. con-  
templare deinde, qui nam sit inter hæreticos ab ortu Christi,  
cuius extet opus aliquod insignius ad aliqua scientiæ alicuius  
partem spectans, veluti Philosophiæ naturalis, diuinæ, mathe-  
maticorum, vel artium liberalium, nihil inuestigando eximium  
reperies. A principio sunt aliqui inter hæreticos, qui periti vi-  
deantur, & maximè qui fuerunt antea Catholici, & cum Carho-  
lici forent, mentē bonis litteris informarunt, sed paulatim præ-  
cipites dantur in caliginem profundissimam, tenebrasq. densi-  
ssimi-



filissimas, vt nihil lucis videatur infelicibus superesse. Contra **A**  
accidit in Ecclesia Catholica progrediente, quasi aurora con-  
furgens, pulchra vt luna, electa vt sol.

Quartum superest, vt videamus. Atqui hoc omnium sit lon-  
ge diuinissimum. quoties hæretici abducunt ab Ecclesia Catho-  
lica gentes aliquas, tum verò Deus inter alias Catholicam do-  
ctrinam propagat, atque amplificat. id nos tempora compa-  
rantes temporibus explicauimus latè signo de maxima iniquis-  
simis temporibus facta propagatione. Hic exempla duo maxi-  
mè illustria producemus in medium.

Cum Græci abscesserunt à nobis, & initium schismatis facere **B**  
cœperunt, tunc aditus apertus ad omnes Septentrionis popu-  
los, qui supra Rhenum, Danubiumque sunt Christo concilian-  
dos; videntur autem duplo plures isti esse, quam reliqui Euro-  
pæi. Vltimi omnium concessere ad nos Lithuani anno millesi-  
mo tercentesimo octuagesimo sexto, cum Iagello eorum ma-  
gnus Dux Christianam religionem est amplexatus, vt scribit  
Cromerius lib. 13.

Nostri verò ætate cum Septentrionis multæ gentes fuerint  
ab alienatæ, Deus aperuit nobis orbem nouum, creauit, vt ita  
loquamur cum Isaia, terram nouam, cælumq. nouum. ac tanta **C**  
est adiectio facta culti nostro nationum prius incognitarum, vt  
numerus iniri nullo modo possit.

Sic olim furentibus Arianis dederunt se nobis Iberes, Arme-  
ni, Æthiopes, Axumitenses, Saraceni, Indi multi, Scoti, & qui  
in Hispanias irruperant ante Visigothos, Alani, Sueui, vt Oro-  
rins testatur, & qui in Galliam Lugdunensem Burgundi.

Contra aspice quid factum fuerit Vandalis, & Ostrogothis **D**  
Arianis: concisi omnes fuere, ac deleti, vt nullæ tantarum na-  
tionum reliquæ superfuerint ad tuendam vel illarum dignita-  
tem, vel ipsum saltem nomen. Quid verò de Orientalibus dice-  
mus? Coniurarunt aduersus Romanum Pontificem tres Orien-  
tis Patriarchæ, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antio-  
chenus opem tulit illis Imperator Constantinopolis potentis-  
simus. quid igitur accidit? in ipsos recidit, quod in Præfulem  
Romanum moliebatur. incredibile detrimentum fecerunt om-  
nes gentium, mortaliumq. ipsis olim subiectorum; redacti sunt,  
si respiciamus antiqua, ad exiguam suorum paucitatē. sic igitur  
quidquid impij prætextu boni molitur in Ecclesiâ Dei oim vir-  
tutū parētē, breui cōcidit, atq; euanescit, & in ipsos retorquet.

— θεων δ' αικητι τέτυκτο

Α' θανάτων των ουτι πολον χρονον εμπεδονηεν.

*Inuitis quidquid superis contextitur illud*

*Temporis exigui spatium dissoluitur omne*

*rursus.*

*Neque enim lex aequior ulla est*

*Quam necis artifices arte perire sua.*

**B** Quod si conatus hæreticorum retorquentur ab Ecclesia in  
ipsos, atque ex ijs illa maiores acquirit vires, cum suis imperet  
volentibus, inimicis verò licet reluctantibus dominetur, nihil  
erit, quod illius imperium subtergiat, cum nemo sit, qui non vel  
inimicus ei reperiatur, vel amicus.

*Macchiauelli præcepta quædam confutantur, quibus ait*

*diuidendos subiectos, & externos; extenuandos-*

*que ad augendas Principis opes, ac ro-  
bur. Cap. XVI.*



**C** *D*ICITUR cuiusnam quæso dicetur esse illud pro-  
nunciatum, quod est in ore eorum, quibus cor  
di non est Germana virtus.

*Regnare si vis diuide.*

**D** Hinc volunt extenuandos subiectos, ne  
quid vel audeant, vel possint in Principem; fo-  
uendas factiones inter eosdem vel permittendas; inter externos  
eodem modo seditiones, ac bella; sic enim necessario confugiēt  
ad te, vel poteris istos adducere facillimè in omnem tuam pote-  
statem. Tu verò quasi moderator, atque arbitrer à cunctis hu-  
iusmodi aduocaberis, coleris, ob id infirmioribus aiunt opem  
dandam, ne potentiores nimis extollantur, sed habeant, qui-  
buscum pugnent, & in modestia contineantur. Atqui iam vidi-  
mus simile studium esse Tyrannorum, esse eorum, quos mala cun-  
cta sequantur ad extremum, contra omne virtutis officium pa-  
cem meditantis, omnem tranquillitatem cunctis afferentis, nō  
odium, non dissidia, sed amorem, placidissimamq. singulis quie-  
tem procurantis.

*Pulchrum eminere est inter illustres viros,*



*Consulere Patria, parcere afflictis, fera,  
Cade abstinere, tempus atque ira dare,  
Orbi quietem, sæculo pacem suo.*

*Hæc summa Virtus, petitur hac cælum via.*

Non id studuit Augustus, ex quo Liuiæ coniugis consilia secutus post aliquot annos, cum maximis curarum cruciamentis affligeretur, neque somnum capere posset, dein beneficijs, ac mansuetudine sibi imperium stabilivit, insidijs antea plurimis appetitum, vt supra retulimus: non ita Titus, qui diem sibi perijisse aiebat, quo beneficia non contulisset, atque ob id humani generis delitiæ fuit appellatus: non ita Nerua, Traianus, qui se malle amari, quam honorari aiebat; Antoninus Pius, Philosophus, qui neque maiestatis læsæ reos occidi volebat, Claudius, Tacitus, Probus, Constantius Chlorus Constantini pater, quem Eutropius dicere solitum refert, melius publicas opes à priuatis haberi, quam intra vnum claustrum reseruari. cultus autem fuit adeo modici, vt festis diebus, si amicis pluribus esset epulandum, priuatorum eis argento ostiatim, ait ille, petito triclinia sternerentur. quãobrem non modo amabilis, sed etiam venerabilis Gallis fuit. His si vnũ, vel alterũ excipias, quibus antea cta vita fuit flagitiosior, Augustũ, ac Titũ, reliquis omnibus mors fuit tranquilla, ac felix. At Imperatoribus alijs, qui vestigijs horum non institerunt, sed venenata serendi discordias, expilandi subiectos consilia sunt secuti, mors violenta plerunque, & decorum, tormentorumq. plena fuit, vt ostendimus.

Quid placet, eligamus; vita ne sit nobis diuturna, an breuis. At vidimus longiorem in regno fuisse post Augustum Liuiæ monita sequentem Traiano, Antonino Pio, ac Philosopho, quos tamen Constantinus omnes superauit. sic in reliquis regnis aperuimus, ijs vt plurimum Regibus datum viuere diutius, qui mansuetiores, suorumq. amantiore fuerunt.

An volumus in perpetuis animi conflictationibus viuentes excruciaci insidiarum metu, & intimis torqueri curarum diffensionibus, earum luentes æqualem pœnam, quas inter alios curamus esse, neque curamus vt sint? An exemplo Neruæ, Traiani, Antonini iugulum nudum præbere suspectis, neque inuenire, qui nos feriat, & in maxima securitate degere, atque animi voluptate?

Forfan expelli è regno cupimus, sicut ex animis aliorũ quietem

tem, ne merito sit nobis illa, quam fugamus ab alijs, aut longe placet abesse? Aut certè casibus varijs agitari, quibus & alios concuti libenter inspicimus?

An non vidimus etiam principes huiusmodi domesticis vexari discordijs intimorum suorum, ne sit ipsis pax, quam vel denegant, vel non afferunt alijs cum possint? vel amplius volumus nostrorum ferale cadere perpeti, aut exultantes casibus, ac plagis aliorum, dum culmen attingimus felicitatis, de improviso deiici, atque allidi ad terram, vel potius in ea consistere diuinitus, ad quam cupimus alios, & conamur adducere? latissima nobis imperia placent? & hæc ijs contingere, qui Dei omnium latissimè imperantis exemplo, clementiæ, ac benignitatis omnia, quæcumque ipsi valent, documenta omnibus præbent.

*Hæc docet, vt pœnis hominum vel sanguine pasci  
Turpe, ferumq. putes: vt ferrum Marte cruentum  
Sic cum pace premas, vt non insensus alendis  
Materiam præstes odijs, vt fontibus vltro  
Ignouisse velis, deponas ocyus iras,  
Quam moueas, precibus numquam implacabilis obstes,  
Aetherij patris exemplo, qui cuncta sonoro  
Concutiens tonitru Cyclopum spicula defert;  
In scopulos, & monstra maris, nostriq. cruoris  
Parcus, in Oetheis exercet fulmina siluis.*

Quod si nos aura popularis delectat, si post obitum gloria, ostendimus ad nos amplificandos eorum mentes tendere, quos amore coniunximus, beneficijs copulauius. sic aperuimus eorum nomina sæpius repetita à succedentibus Regibus, quorum fuit ad euehendos ad omnia bona, & in pace continendos subiectos præcipua cura: ijs perpetua gloriæ monumenta contigerunt, quamuis ista minus procurarēt. Sic obseruat Aristoteles huiusmodi principibus neque vltra annum ceterisim durare principatus, vel vltra quartam, quod obseruauit Ælianus generationem: redigiq. diximus ad vastitatẽ regiones, ad nihilum populos eis subiectos. Nam nemo non mortalium currit, atque aduolat ad inhabitanda illorum principum loca, quorum subiectis conspiciunt esse, conseruari, & augeri ab ipsis principibus



opes, honores, ac reliqua bona. Hinc augentur Vrbes, oppida, A  
vici. coluntur agri, vectigalia pluribus vndique confluentibus  
crescunt, impendunt quidquid populi habent libentissimè ad  
eorum vitam, decus, opes, atque imperium tuendum, ampli-  
ficandum. Vidimus supra, & latè probauimus libro de robore  
bellico Persis, ac Romanis, omnium maximè diuturna, & am-  
pla imperia contigisse diuinitus. Quid ita? quod istis mos esset  
Reges deuictos non protinus suis regnis exuere, sed illa ipsis  
administranda, imposito tributo relinquere, quod Herodotus  
narrat. Adeo non isti expilabant, quos armis domuissent, ne-  
dum ciues, nedum populares suos. Romani idem facitauerunt, B  
quo circa vel imperante Nerone in ipsa Italia Rex Alpium Cot-  
tiarum fuit; alij præterea multi multis in locis imperij, vt è uir-  
ta Vespasiani constat, qui nonnulla regna in prouinciarum for-  
mam redegit, quæ Eutropius, ac Suetonius narrât. Testis est in  
Lybico Appianus multas nationes Romanæ virtutis existima-  
tione, ac splendore captas id petiisse, vt sub imperij Romani di-  
tione essent, iura ab ipsis, ac leges acciperent. ter in maximas  
angustias Romani à Carthaginensibus coacti fuerunt, ita vt ali-  
quando fuerit à nonnullis de Roma deferenda cogitatum secun-  
do bello punico, & tamen euertendæ illius, nisi compulsi neces-  
sitate decretum non statuerunt. ac fuere, qui contenderent igno-  
scendum, atque illi prudentia rerum civilium administranda-  
rum præstantissimi. Ter iidem Romani potuerunt Ægyptum  
proprii iuris facere, Regibus auferre, non eis reddere. noluerunt  
id facere, non est adducta Ægyptus alioquin opulentissima prou-  
incia in potestatem Romanorum, nisi cum Cleopatra viperâ  
sibi ad pectus admouit, atque omne semen Regium, quod in re-  
gno succederet, defecit. ac sanè nihil propè continentius fuit  
Romanis, ad aliena sibi vendicanda, nisi maximum ius, quo cõ-  
pellerentur, atque vrgentissimum perspiceret sibi adesse, quam D  
diu fuere in libertate, ac Senatui suum ius fuit. ex illo vbi Impe-  
ratorum non adeo clementibus, ac beneficis animis aditus  
apertus, tum simul etiam Roma dilaniata vnâ cum principi-  
bus suis, combusta, ter maxima ex parte, sæpius direpta à  
suis, vt explicauimus libris de antiquo, & nouo Italiæ statu. ad  
summam fixum sit hoc immutabili decreto, quod quisque iu-  
ris in alium statuet, vtetur ipse eodem.

*Tu ciuem, patremq. geras. tu consule cunctis*

*Nec*

A *Nec tibi, nec tuâ te moueant, sed publica iura.  
In commune iube, si quid censēsq. tenendum.*

Qui diuidet alios, ipse sua suosque diuidi sentiet, qui exte-  
nuabit alios, & ipse siue cito, siue sero videbit se, suosque exte-  
nuari, vt è superioribus constet.

Quin, ò bene vir, si res ita agetur, dissipabitur humanum ge-  
nus, vt in prohemio concludebamus. Si membra à corpore diui-  
dantur, alterumq; ab alterius connexionem, quid illi erit? efficien-  
dum potius, vt arctissimè secû, & cû toto corpore conglutinen-  
tur, neq; discissio, luxatiove permittenda, nisi cû pestilens est om-  
nino membrum. alioquin etiam si incommodet reliquis mem-  
bris, afferat languorem, non secatur. numquid claudus in aqua-  
lissimum crûs præscindit? numquid oculû lippietem quis eruet  
sibi? numquid brachium sic distortum, luxatumve, vt nullû præ-  
stet vsum, vel impediturum sit officia cæterorum? Vel placet  
omnia debilitati debilitato vno? An potius adcurrere vt illud  
corroboretur? Christianis est vnum corpus in vnum Christum,  
Pontificemque illius Vicarium cohærens. Hominibus cunctis  
est vna in eadem naturam colligata vniuersitas, diuinitus insti-  
tuta, ad idem facta, ab eodem creata. Ad istas diuisiones, debili-  
tationesque nisi ob maximam necessitatem non est properan-  
dum, cum scilicet aliquis extremam ruinam molitur, neque  
desistit monitus, obiurgatus, leuiter, acrius, grauiusque pu-  
nitus.

Ex ista enim diuisione paulatim gliscentibus inter Proceres,  
nobiles, ac populares odiis, atque ex vna in alias causas trans-  
uolatibus, quasi ex crescentia sensim rupto aggere flumina, dū  
Reges illa haud placant, oriuntur funestissima bella. nam te-  
nuis odij scintilla dum modo hoc, modo illud lignum corripit,  
stare enim nescit, immensa odia, quæ non possint extingui,  
excitat, ac latè cuncta exurit. animique per actus frequen-  
tes iris exercendis assueti vehementissime æstuant; neque  
pati quidquam vel leuissimum queunt. atque vbi auersantur  
aliquid à Regibus factum, ferre eos non possunt, extinctos cu-  
piunt, atque vt extinguantur illi contendunt. sic Orientale im-  
perium concidit, sic hodie videmus Hungaricum dilaniatum,  
Gallicum discerpi, Germanicum iacere. sic vbi Marius diuiscit  
à Senatu plebem, vt vtrique dominaretur, & eodem studio Syl-  
la Senatum à populo; ac mox idem fecere Pompeius, & Cæsar  
po-



postremoque Octavianus, actum est de Repub. Romana, paulatimque eo ventum, ut qui regnare volebant, Pratorianos, militesve alios ab Imperatore auellerent, in illum concitarent, atque ut succederent, mortem machinarentur. neque esset prope, qui non occideretur. Sic inter Mahometanos periit imperium Califarum, Persarum, Turcorum, Tartarorum, Mamaluchorum, ante Othomanos regnantium; similiter in Africa Fessensium, Marochiensium, & huiusmodi plurium, quorum meminimus, cum de familiis Regiis, quæ se mutuis cædibus absumpsere, egimus supra.

Ut capiti bene sit extenuandi sunt, inquires, subiecti. Itane? fieri haud potest. nam si membris male sit, male erit etiam capiti. Numquid autem membris exilibus vastissimum caput imponemus? stipiti amplissimo nullas dabimus radices, tenues tantum fibras? ornabimus faciem, deformabimus totum corpus?

*Humano capiti cervicem pictor equinam*

*Iungere si velit, & varias inducere plumas*

*Vndique collatis membris, ut turpiter atrum*

*Desinat in piscem mulier formosa superne;*

*Spectatum admitti risum teneatis amici?*

Sed in explicandis bellis est opus multa pecunia, multis opibus; quæ sine graui onere vectigalium, multisque non possunt coaceruari. Atqui Romani non hac via ad amplitudinem tanti Imperij venerunt; non Persæ, non Galli, Germani, Hispani. quin ubi hæc elegerunt, concidere. Saluianus testatur, cum disceptum est Occidentale Imperium, subiectos grauissimis tributis fuisse oneratos. idem lamentatur Gregoras accidisse Orientali iam labenti. Galli, quod liquet è capitularibus, Germanique, ut adhuc videmus instituerunt Vrbes ab omni fere immunes pensionem, sic & Hispani olim suas. nam quid de Alexandro dicemus; qui nulla ferè ope nummorum Imperium tantum sibi comparauit? Robur militare est in primis à Deo, Virtutibus animum ornantibus, iusta causa, exercitatione militari. subiecti ubi amant Principes bene de ipsis meritos, quid non agunt, quæ pericula non subeunt, quæ imperata non faciunt, ut eos, eorumque regna tueantur? Franciscus Maria Ruerius dicere solebat, sibi tot esse in ditionibus suis arces inexpugnabiles, quot hominum corda. constantissimè namque, & ardentissimè à suis

à suis populis amabatur. ac ter à potentissimis expulsus, cum nil haberet, ter illas recepit. vel cunctos oportebat occidere, eisque cor euellere, aut illi erepta restituere. nō enim tributis illos onerabat ullis, in tranquillitate, & amore maximo omnes deuinctissimos inter se, ac secum continebat. eadem Catholicorum potentissimi Reges egerunt. contra populi ubi se vident expoliari. Rursus, cum congestas opes habemus, & maiores congerimus, in luxum labimur, ac populi nostro exemplo delictis effeminantur, inimicorum vultu delicatuli ferre non possunt. His præterea freti haud curamus arma exercere, non curamus alios irritare, nobisve conciliare, vel reliqua providere, quibus imperia stant, amplificantur. sic hostes facilius mouentur ad bella in nos mouenda inflammati cupiditate opum potiundarum, fortiusque ob id pugnant. uti Macedones Gazæ Persicæ desideriis accensi, aut Romani opes Asiaticas conspiciunt. sic igitur diuitiæ nimie nocent. Audi quid inducat superiores cum Roma loquentes illi.

*Horrenda latè nomen in Vltimas*

*Extendat oras, quæ medius liquor*

*Secernit Europen ab Afro,*

*Quæ tumidus rigat arua Nilus.*

*Aurum irrepertum, & sic melius situm*

*Cum terra celat, spernere fortior,*

*Quam cogere humanos in Vsus*

*Omne sacrum rapiente dextra.*

*Et alibi.*

*Quanto quisque sibi plura parauerit*

*A Dijs plura feret. multa petentibus*

*Desunt multa. bene est, cui Deus obtulit*

*Parca, quod satis est, manu,*

Romani ad amplitudinem tantam imperij pertigerunt in libertate viuentes, & ciuitatibus plurimis, quæ in libertate vivebant, sociis vtentes. nō extenuabant aut semetipsos, aut alios, diuidebātve. eandē senatui reliquere Imperatores fortissimi, laudati, de quibus supra est actum. idem fecere Catholici. ob id latissima imperia sunt diu tutati. contra Mahometanis nullatitit regni nobilioris forma ultra annos tercentum.

Audi



**A** Audi nunc aliud. in Africa olim tot Vrbes erant, vt Hunericus miserit in exilium quadringentos triginta Episcopos, teste Beda, plures vult Sigibertus. Atque Ioannes Leo Africanus in exactissima sua Africæ descriptione vix quadraginta, in quibus sunt oppidula exigua, recenset. Ægyptum volunt aliquando habuisse Urbium viginti millia, referunt Plinius, Diodorus, Mela. modo neque viginti habet, vt ex eodem Leone apparet. sic ad eundem squallorem properat Asia, & quidquid Mahometani præcipue verò Turci tenent, exactionum, diuisionisque huiusmodi regula vtentes, ac ferro, & odiis omnia transigentes.

**B** Ex aduerso aspice Germaniam, Septentrionisque oras omnes, in quibus maximi principes, liberæ Ciuitates, à pensionibus immunes. quid ex cultius illis? quam crebre, quam magnificæ Vrbes, quantis vndique opibus, & abundantia rerum quarūlibet abundantia circumfluentes? & tamen antea nullæ erant Vrbes supra Rhenum, ac Danubium. Viden apertissimè. quid boni afferat Macchiauelli doctrina, quid Christiana amoris, ac pacis.

**C** Audi adhuc. Polonorum Rex est quasi Reip. caput; nihil sine Senatu magnum potest. subiectis nullum vestigial est, nullum fere tributum. Moscouitæ contra tot exactionibus expilant subiectos, vt nihil supra. Dux ipse inter suos omnia potest. & tamen sapius victi Moschouitæ à Polonis militum numero longè inferioribus. Atque his Urbium decus longè nobilius. illis vilitas, atque horror.

**D** Nondum finem faciamus. diximus supra. si membra extenuentur, fore vt capiti male sit, aut fore monstruosum magnitudine sua caput. cognoscamus id experimento illustrissimo. In tota Africa nihil eminet nisi Fessa. in Ægypto solum Cairum. in Græcia Constantinopolis. in Persicis regnis vnum Taurisum. Reliqua exilia, ac mediocria. quid ita? Solæ Vrbes celebritatis aliquid habent, in quibus commoratur Rex quasi caput, alia nihil habent excellentiæ. Numquid in nostris regionibus est aliquid simile. Hispania proferet tibi Vlyssiponem, Hispalim, Toletum, Valentiam, Barchinonem, Madri-lium, plurimasq. huiusmodi Vrbes. Idem dicimus de Gallia, Italia, Germania.

**E** Quid porro accidit? vno conflictu Turcarum Rex occupauit Syriam, Ægyptum, Arabiæque loca nonnulla. quod scilicet nihil esset in Urbibus magnum, firmumque quod tuerentur. idè con-

**A** consecutus est in Armenia, Mesopotamia, Mediaque expugnanda, quas prouincias eripuit Persis. An simile euenit in aliqua Christianarum? Hungaricas Vrbes dolo occupauit accitus ab Isabella Regina. Solymanus Orientem totum commouit, vt Maximiliano imperate Sighetum, Iuliamque expugnaret; annuaque id expeditione. Quibus de causis? nempe illis. cū tantum capiti tribuitur, vt auferantur omnia membris, facile obtruncatur istud caput, cui membra infirma, & exitia non possunt, aut nolunt ab ipso oppressa auxilium ferre. Quod nisi hæreticis, quorum Turca regiones occupat, iratus Deus catholicos impediret; an non cuncti fatentur si semel acie vinceretur, cuncta illius regna ruitura? sed ille scilicet non audet, neq; vult nobiscum configere, nisi copias innumeras habet aduersus exiguas nostrorum.

*Diuidendi subiecti, & exteri cum diuidunt se ipsos illi diidentes vincula, quibus humanum genus colligatur. & quæ sint illa. clarissimumq. fit, vbi diuiditur religio, ac Pontificis Romani potestas diuidi, & commoueri Orbem totum, & vniuersitatem rerum. & quo fit inde pendere imperia, ex Orbem. Cap. XVIII.*



**E**o numquam ne diuidendi mali, debilitandi, imminuendi, cum diuidere semetipsos illi debilitare, atq; imminuere conatur, tum bonis, illi cōglutinandi? diuisione ad malū, cōiunctione ad bonū. si duo pertinaciter coeant, vt abrumpāt totū vinculū, quo & ipsi, & alij colligantur, iam volunt isti, & contendunt semetipsos, & alios diuidere, si conspiciant duo mēbra, vt cor diuidāt, iam membra ista id agunt, vt in cineres longissimè à semetipsis dissipētur. Prospiciendum nobis, atque omnino efficiendum, ne dissipentur ista membra, ne disungantur illi à vinculo communi. Robur illis, mens auferenda quoad istos conatus. Quodnam quæso hoc vinculum, quodnam quæso cor, connectens vniuersa, colligans mundum? Deus, religio Catholica, summi præsules eius, iura ad istos singula pertinentia, quæ quo communiora, eo vinculum plura cō-



plectitur, ac disrumpit plures disrumpit. An ne hoc verum? **A** sic sanè. Audi quoties summi omnium Reges, qui fuerint in orbe prophanarum rerum administratores, vel qui nomine ipsorum cuncta moderabantur, inscijs quandoq; Imperatoribus, in Pontifices Catholicæ religionis summos arma tulerunt, id quærentes, & asserentes ad se spectare, non ad Vicarium Christi, primas in rebus omnibus moderandis; Tum visus est totus mundus concuti, & corruere, quasi vinculum continens omnia dissolueretur, cor ipsum dissecaretur. tum pestilentia, sterilitas, diluvia, incendia, terræmotus, clades omnes, portenta omnia simul extitere, quæ fufius recēsuimus signo C. nunc autem summatim. enumeremus ista, ne quis possit effugere. **B**

Primum tempus est, cum Nero Petrum, Paulumque occidit, & Christianos delere est conatus. ac tum testante id Tacito, oborti turbines ventorum, qui cuncta vastarent, omne mortaliū genus pestilentia depopulata est, amnes sanguine cælitus delapso fluxerunt, mare ab Ægypto tam longe recessit, vt magnam Lybiæ partem occupauerit, ac terræmotus non parui fuerunt, incendia multa enata.

Secundum tempus est, cum Vespasiano imperante ad excindendam Christianam religionem multi occisi in his Apollinaris Episcopus Rhauennæ, Leontius, Hypatius, Theodolus alijque plurimi, peruenit hæc in Christianos mota tempestas vsq; ad Titi imperium, quo volunt Eusebius, atque alij celsum Linum Papam, quamuis reuocauerit edicta in Christianos proposita Titus post hæc, credimus ipso forsitan insciente continuata. Ac tunc Eusebio teste, tam magna Romæ pestis fuit, vt hominum decem millia quandoque in singulos dies absumerentur. terræmotus horribiles extitere. è Vesuuio monte incendium tam sæuum erupit, tantus fumus, accinis, vt ille tenebris omnia effunderit, noctemque effecerit è die, hic obruit duas ciuitates, Herculanum, & Pompeios, terram, mare, atque aërem totum repleuerit, in Africam, Syriam, & Ægyptum peruenit, mugitibus omnia resonarēt, exercitus gigantū per aëra ferri viderentur, ita vt homines putauerint omnino mundum ruiturum, Romæ multa enata incendia. Hæc Dio, Eusebius, Tacitus, & alij.

Tertiū tēpus est, cū Domitianus anno imperij decimo Christianos est infectatus perempto Clemēte Papa, ac tunc per octo menses creberrima Romæ fulmina fuerūt, vt multa dissecerint, ille exclamauerit, feriat quæ volūt. Hæc Suetonius, Tacit<sup>us</sup>, Dion.

Quar-

**A** Quartum tempus est, cum Traiano Imperatore occisi, Euaristus, atque Alexander Papæ, ac tunc inquit, Victor, Tyberis perniciosius multa ædium ruina inundauit, terræmotus grauis per prouincias fuit, atrox pestilentia, fames, & incendia multa describit hæc omnia latè Dion, qui fluuios aliquot defecisse, subfedis montes terræmotu scribit, quin teste Eusebio in Asia quatuor, in Græcia duas Vrbes ille hausit.

Quintum tempus est, cum Xistus, ac Thelesphorus Papæ cum plurimis præterea Christianis interfectis Adriano regnante, ac tunc, inquit, Capitolinus, fames, Circi ruina, terræmotus, quo Rhodiorum, & Asiæ oppida multa conciderunt, Romæ incendium, qui trecentas quinquaginta insulas absumpsit, inundatio Tyberis, Narbona, & Antiochia arsere, Cizicum funditus periit.

Sextum, quo regnantibus M. & L. Antoninis Anicetus Papa Christianorumque alij perempti, ac tum nulla ab armis, inquit Victor, vllibi quies, terræmotus non sine interitu Ciuitatum, inundationes fluuiorum, lues crebræ, locustarum species agris infestæ, ita vt propè nihil, quo summis cruciaribus atteri mortales solēt, fuerit, quod non saniret. hæc latè exaggerat Capitolinus.

**C** Septimum, Commodus vel vna cum Patre, vel solo regnante, occisi que Sother, atque Eleutherius Papæ, ac præter alios Christianos Apollonius, ac Iulius Senatores, quamuis ipse Commodus multum tempus nihil egerit in Christianos, atque ipso, ac Patre inscio, sunt hæc perpetrata, quod sepe accidisse scimus. tunc autem fame Roma vexata; fulmine Capitolij Bibliotheca, vicinæque ædes concremata, plurima Urbis pars incendiis solo æquata, pestis autem dirissima vbi que fuit. Hæc Eusebius Dion, ac Victor.

**D** Octauum rerum summam tenente Seuerō, cum Victor Papa interemptus, ac tum cædibus, ac rapinis Roma, Italias, ac totus orbis Romanus dilaceratus, direptus.

Nonum dominatu Heliogobali, cum Zephirinus enecatus, ab illo funeribus oīa repleta, vt referunt Lampridius, ac Dion.

Decimum Maximinis imperantibus, de quorum iussu interfectus Antherus Papa, & alij plurimi Christiani, ac post Populus Romanus, inquit Capitolinus, à militibus Prætorianis est laniatus, magna pars Urbis incensa, Ciuitates terræmotu absorptæ.



Vndecimum, Decius rerum potitis, cum Fabianus est occisus, ac pestis per annos decem totum terrarum orbem est depasta.

Duodecimum, regnantibus Valeriano, & Gallienis, ac tum Lucius, Stephanus, ac Sixtus Papæ interempti, auditumque est, ait Trebellius, tonitru mugiente terra, multa ædificia cum habitatoribus deuorata, multi terrore mortui, mota Roma, mota Lybia, mare multas Vrbes occupauit, pestis tam saua, vt Romæ quinque hominum millia vno die perderet.

Decimum tertium dominatu Aureliani, quo Felix est occisus, ac tum à Marcommānis omnia vastata, Barbari omnia vsque ad Fanum progressi in Italia subuerterūt, ter cum illis collata signa. Vastitates ab illis allatæ, atque Vrbium ruinæ viuente adhuc S. Hieronymo, durabant, nam Romanum penè est Imperium solutum.

Decimum quartum, Principatu Diocletiani, cum necatus est Caius, & Marcellinus, ac Romanarum rerum status, vbiq; turbulentissimus fuit, Tyrus, ac Sydon terræmotu subuersæ vt signo centesimo aperuimus.

Decimum quintum, Maxentio imperante in Occidente, ac Maximino in Oriente, per quos multi Christiani occisi religionis Catholicæ ruinam molitos, & Romæ quidē Fanum fortunæ conflagrauit, ac parum abfuit, quin tota Vrbs incendiaretur, fames quanta numquam fuerat, in Oriente pestilentia Vrbis incolis, agros coloris viduauit.

Sic igitur per annos ducentos quadraginta septem, quibus hæc acciderunt fuere octo terræmotus vniuersales, quibus multæ Vrbes absorptæ, plurima vastata: nullum sine illis tricennium, decem pestes generales, nouem Romæ lata incendia, ter fulmina per multos menses, nullum propè decennium vel à peste, vel à fame, vel à terræmotu liberum, quibus adiungebantur diluuiâ, incendia, cladesque huiusmodi horrendæ, sed his multo funestiores erāt hominibus Imperatores ipsi ad noxia quælibet nati atque hucusque illi, qui nullū Christo cultum dabant. Sequuntur hæretici.

